DE CIRCULO PHYSICO, QUADRATO:

Hoc eſt,


AURO,

EIVSQVE VIRTVTE MEDICINALI, SVB DVRO CORTICE INSTAR NVCLEI latente; An & qualis inde petenda ſit,

TRACTATUS haud inutilis:

AVTHORE

MICHAELE MAJERO Com. P. Med. D. Eq. exem. &c.



OPPENHEIMII

Typis HIERONYMI GALLERI, *Sumptibus* LUCÆ JENNISI 1616.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET SERENISIMO
PRINCIPI ac Domino,

Dn. MAURITIO,

LANDGRAVIO HASSIÆ,
COMITI IN CATZENELBOGEN,
DIETZ, ZIGENHEIN & NIDDA, &c.
Domino ſuo clementiſſimo

D. D. D.

MICHAEL MAJERUS Med. D. C. P.

CIRCULI quadraturam, Illuſtriſſime PRINCEPS, Ariſtoteles ſuo tempore non ſcitam, at ſcibilem pronunciavit. Poſt eum non pauci Archimedeum illud ἕυρηκα, ἕυρηκα, nimis præproperè cantantes ſeſe inveniſſe proclamârunt, at alii in alia forma: Plurimi in Geometricis ſolis, nonnulli in ſubjectis non tam ad matheſin quàm phyſicam ſpectantibus, ut ſunt corpora naturalia; ex quibus

Digitized by Google

cum Aurum maximè & intrinſecè præfulgeat, huic inter hos calculum me dediſſe non abſque cauſa profiteor: non quidem ea intentione, quaſi Geometriam ſuis terminis & inventis deprædari, at magis, ut naturalem ſcientiam hoc quoque problemate inde mutuato (niſi quis id phyſicæ proprium agnoverit, cum rigidi cenſoris licentiâ) ornare & augere exoptem. Quod ſcriptum, cum jam pridem de eo concipiendo cogitârim, nunc, dum Coloniæ paucis ab hinc diebus ſubſiſterem, mihi extorſit, ferè Ephemerum, cujuſdam nimis iniqui & precocis authoris Elleboriſmus, omnibus Chymicis & ex auro, aliiſve metallicis (ut abuſus medicinæ rectè taxatos non taxem) medicamenta ad hominum ſalutem ſpectantia, præparantibus, inſtar fortiſſimæ purgationis propinatus. Cum verò nonnulli inter Chymiæ, noſtrique amantes hoc inprimis publicari cuperent, ne ſcilicet veritas in herba, quod dicitur, ſupprimatur, at pro cujuſlibet virili à calumniis adverſantium liberetur; hujus gratiâ in hanc arenam deſcendere non ſum veritus, cujus cum Celſitudo Veſtra patrocinium nunquam non ſuſcipiat, non eſt quod dubitem, quin clementiſſimam eidem

jam

Digitized by Google

jam manum præbitura ſit, cui hunc quantulumcunque tractatum dico & obfero, eámque Divinæ protectioni diutiſſimè commendo. Francofurti ad Mœnum: Anno 1616. Menſe Auguſto.

Digitized by Google

CARMEN AUTHORIS ſummam libri exponens.

SUNT *tria, mirificis graduum concordia vinclis*
Harmoniam mundi, quæ Monumenta docent:
Nempe COR *humanũ,* SOL *cæli atq;* AUREA
In ſe dum vicibus conveniẽter eunt. *(virtus,*
Sol equidem ſuperâ, ceu Rex, regit Arce Planetas,
in terram radios inſinuátque ſuos:
Hinc hominum calido vis vivida corde movetur,
Hinc invicta AURO *forma decúſque venit.*
Hic veluti centrum reliquis & Regula motus
Cernitur, hic cæli lumen Ocellus habet.
Mobilis hic orbis punctus, ſtipante coronâ
Errantûm incedit Dúxque capútque Facum.
Sic COR *& humani dominatur corporis Aulâ*
Próque ſuo nutu ſubdita membra trahit.
Illud ſpiritibus venas, vegetóque tepore,
Unde fluit vita flammea tæda, beat.
Omnibus, in medio Princeps velut imperat Urbũ,
Artubus hoc vires dátque negátque ſuas.
Nec minus his terræ rebus præponderat AURUM,
Dum precium ſtatuat ſe, Dominúmque probet.
Subdita nam fulvo ſunt hæc terrena metallo,
Hoc ſpeculum mundi totius abdit opes.
Hoc patuli ſuccincta ſoli compendia præbet,
Et ſpecimen magni monſtrat imago poli.

Error

Error an hic hominum cæcus ſine mente, quod Aurum
Prævaleat cunctis, mos an inanis erit?
Abſit, ut humanis Numen cæleſte negemus
Rebus, & hoc precium non ſtatuiſſe Deum:
Ille dedit vires auro, cordíque favorem,
Ut cor amet, cordis cui medicamen ineſt.
Ille dedit ſoli virtutem mitis, ut aurum
Progeneret, terræ viſceribúsque tegat.
Utque Deus Soli, Sol auro, hoc denique cordi
Vim dat, & hoc verſo reſpicit orbe Deum:
Omnia ab hoc & ad hunc mortalia condita tendunt,
Circulus hic, quicquid conſtat ubique, replet.
Unius Octava velut intervalla videntur
Solem intérque Deum, ſi bene mente notes:
Quadrupla ſic inter ſolem numerantur, & aurum,
Corde ſed octuplo Numen abeſt ſpacio:
Hic & ibi remanet ſubdupla proportio, metis
Non tamen immenſi Mens capienda Dei.
Sol cæli radios cordi inſerit, at Deus ignem
Vivificum, vires Aurea vis ſtimulat.
Sol, ut imago Dei ſic eſt cor ſolis & aurum;
Utque hoc perpetuo monſtrat honore Deum:
Sic quoque cor noſtrum, conſtans velut ignibus aurum
Semper erit, terræ cum ſit abacta lues.
Quod ſupereſt, ex ſenſibilibus Mens pergat ad illa,
Quæ ſunt, & quamvis non videantur, erunt.
Illa manent, abeunt hæc, illa abſcondita, ſunt hæc
Nota, DEI Bonitas hinc ut & inde patet.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM SINGULORUM
hujus Tractatus.

Cap: I.

Aurum eſſe inſtar circuli abſolutiſſimi à natura circumſcripti.

Cap. II.

In aureo circulo eſſe quadraturam quatuor qualitatum, hoc eſt, æquationem factam.

Cap. III.

In hoc aureo circulo, tanquam figura naturæ munitiſſima, eſſe dotes uberrimas reconditas, quæ non cuilibet obviæ, niſi circumſpecto rerum æſtimatori, occurrunt.

Cap. IV.

Aurum, quaſi ſolem terrenum à quibuſdam dictum, eſſe centrum omnium humanarum actionum, veluti cæleſtis planetarum.

Cap. V.

Quod cauſæ præcipuæ, cur menſura menſurabilium & precium preciabilium ſit aurum, in ternis proprietatibus

Digitized by Google

tatibus exiſtant; primò in externis accidentibus, colore, puritate, ſplendore, extenſione, pondere & innoxia qualitate.

CAP. VI.

Secundò, auri prærogativam dependere ab ejus à corruptione immunitate, & quaſi perpetuitate contra omnium elementorum injurias, ut ita æternitatis imago corporea habeatur.

CAP. VII.

Quod totus hic mundus apertus liber ſit, docens rationales homines in genere, quod & qualis ſit Deus, quod hæc vita tranſitura, aliáque æternæ felicitatis expectanda ſit, in quo Aurum, qui paginam eſſe negat, Elleboro indigeat.

CAP. VIII.

Tertiò auri præcellentiam peti ab internis & reconditis in eo virtutibus medicinalibus, quibus cordi humano confortando inprimis appropriatur.

CAP. IX.

Qua ratione aurum, adeò ventriculo indigeſtibile, cordi ſpirituum vitalium officinæ ſuccurrat, tactu & actu frigidum eidem calorem ſuppeditet, & virtutem medicinalem inſtillet, contra adverſantium opiniones.

Digitized by Google

CAP. X.

De auro æquato, quomodo agat in non æquata viſcera corporis humani & intemperiem illorum emendet.

CAP. XI.

Quod aurum detectum à ſuo cortice, nucleum medicinalem offerat, ſine quo tota compages ejus ferè inefficax habeatur.

CAP. XII.

Cantilena Anacreontea.

Quod illi Anticyram mittendi, adeóque eſſentia Ellebori extracta (ut ipſi perhibent) purgandi ſint, qui auro medicinales virtutes, propriâ animi ignorantiâ aut pecuniâ alterius non experti opinione ſeducti detrahunt, Deo in his Magnalibus (quæ in mundo ex ſingulari providentia ſua prævalere voluit) laudem & gratiam debitam non reddunt, aliisque aliter edoctis & docentibus pro præmio invidiam, pro didactro mendacium reportant.

Digitized by Google

DE CIRCULO PHYSICO QUADRATO:

Hoc eſt,

AURO:

TRACTATUS.

CAP. I.

Aurum eſſe inſtar circuli abſolutiſſimi à natura circumſcrpti.

PLATO, Divinus ille Philoſophus binas ingenii humani alas, Geometriam & Arithmeticam, non inconcinnè vocavit, quibus ad cœlum ſcientiasq; argutiſſimas ſubvolari poſſit. Unde Scholæ ſuæ veſtibulo hoc Symbolum inſcripſiſſe dicitur; οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω: hoc eſt, Geometria rudis abeſto. Abſque his enim ſcientiis, quarum ſemina & principia mentibus humanis à primo ortu quaſi inſculpta voluit, nullum ad Phyſicæ aut Aſtronomiæ ſtudia aptum exiſtimavit, in quibus omnia numeris &

menſuris à natura & arte definita animadvertit. De motibus cœleſtibus, quod certis temporum & locorum ſpaciis intermediis determinentur & abſolvantur, nullum eſt dubium, ideoque non abſque Geometria & Arithmetica indagari aut explicari poſſe, veluti ipſa experientia quotidiana ad oculum demonſtrat. At de Phyſicâ, naturalique corpore, quatenus mobili, ejus ſubjecto, an Geometræ ac Arithmeticæ adminiculis opus habeat, ambigitur. Motus enim Phyſicus nullam ſecundum locum mutationem corporis videtur præſupponere, cum ſenſus oculorum tale quid non diſcernat. Verùm ſi ratione ipſa acutius in hæc inquirâmus, Omne corpus Phyſicum conſtare tribus dimenſionibus æquè, ut Mathematicum, nempe longitudine, latitudine & profunditate judicabimus. Quæ cum ita ſint, Geometriam quoque, quæ circa has dimenſiones, tanquam principia & fundamenta verſatur, nec non Arithmeticam, quæ quantitate diſcreta eadem metitur, omni naturali corpori ſuas dotes contuliſſe, veri- *Theor. Teſt.* tati conſentaneum eſt. Natura enim ipſa, ut Lullius tam verè quàm ſubtiliter diſſerit, ſuâ Geometriâ, Arithmeticâ, Rhetoricâ, Muſicâ, aliiſque ſcientiis in productione corporum naturalium utitur, ut non indigeat alieno ornatu aut additamento. Quod cum in omnibus à natura generatis communiter pateat, tum in primis in illis corporibus, in quibus magis curioſa plus artificii aut temporis mirificamque mixtionem collocavit, qualia ex animatis ſunt corpora humana, ex inanimatis, Aurum inter metalla precioſiſſimum. De Anatomia fabricæ illorum quam plurimi ſcriptores & antiqui & noſtri ævi extant, qui omnibus numeris abſolutiſſima de ea opera, ſemper aliquid novi in parvo illo mundo annotantes,

Digitized by Google

tantes, ediderunt. De auri verò ſtructura & eſſentia perpauci, iique obſcurè ſcripſerunt, ita ut de materia deſperata, vel cujus proprietas non ſatis exprimi poſſit, tractâſſe videantur. At enimvero cum non ſolum ſapientiſſimus antiquorum Salomon de omnibus ex terra naſcentibus, nempe à cedro ad rutam murariam uſque diſſeruerit, ſed & noſtro ſeculo tot ſint edita commentaria Botanica, Anatomica & Phyſica de minimis quoque terræ creaturis, tam animalculis quàm plantis, indecorum fuerit & humana curioſitate indignum negle-xiſſe, licet mutum illud ex foſſilibus, tamen in mundo pretioſiſſimum donarium, Aurum; quod ideo videtur in terræ interiora viſcera tam profundè demerſum & abditum, ut diligentiore cura indagaretur, labore majore erueretur & uſibus humanis accommodaretur. In hoc equidem producendo ut natura ſubterranea quaſi ſummum apicem ſuæ perfectionis oſtẽdit, ita in eodem conquirendo appetitus humanus omnes nervos intendit, ingenium corpusque exercet, ne fruſtrà generatum æſtimetur nec ſegniter in cunabulis ſuis deliteſcat. Hic eſt ille Circulus Phyſicus, quem ſi natura circumgyratione ſui abſolverit, merito quieſcit; cum poſt motum quies appetatur ab omnibus: De qua loquendi ratione ſi quiſquam dubitet, nodum, quod ajunt, in ſcyrpo quærens, huic hoc capitulo, quoad titulum libri, ſatisfaciam. Quod Pythagoras de Deo ſummo & optimo analogicè dixit, eum eſſe inſtar circuli, cujus circumferentia ſit ubique, centrum verò nuſquam, id nos ſuo modo de auro dictum putamus, illud eſſe Circulum, cujus centrum ſit circumferentiæ innatum, hoc eſt, homogeneam ſubſtantiam exiſtere, cujus milleſima & interior pars ſit formalis & agens, reliquæ materiales & formatæ. Ex

Aurum qualis circulus.

Cur aurum circulus dicatur i ratio.

B. 3. materia

materia enim forma,& ex circumferentia centrum ſeu concentrales lineæ,ducuntur,tanquam ex matrice fœtus. Rectè itaque in hoc Circulo phyſico centrale punctum ex ſuperficie attenuata profluxiſſe dicitur,& non vice verſa ex puncto lineam,ex linea ſuperficiem,& ex ſuperficie corpus, ut Mathematici volunt. Ut enim materia multiplex,ita ſuperficies. Centrum verò ſimplex, ita forma : Ex ſuperficie & cenrro Circulus : Ex materia & forma corpus phyſicum componitur : Diverſitas in parallelis apparet vix ulla. Si verò ſecundùm prius & poſterius conſideremus utrumque,& forma & centrum antecedunt, ut dignitate ſic tempore, materiam & ſuperficiem notandam. Etſi enim animo concipiatur,materiam extitiſſe ante formam,& matricem ante ſuum fœtum,tamen cum illa ſine veſte nunquam videatur rudis & nuda, quin Idea quædam inſtar exigui puncti formalis introducta ſit, hinc Centrum ſeu formam(quæ eſt ſulfur rubeum & coagulatum)in hoc Circulo, Auro, præparâſſe materiæ Mercuriali, tanquam ſuperficiei,ſuam eſſentiam puram & denominationem dediſſe, veriſſimè ſtatuimus. Nam materia omnis,ut fœmina,per ſe frigida,& ad generationem inepta eſt, niſi excitetur calore & motu ſuæ formæ,tanquam agentis maſculi ; à quo ut initium generationis capit, ſic perfectionem & finem nanciſcitur. Adhæc
2. *Ratio.* Circirculum Aurum diximus,quia ut in rotario opere textorum obſervamus,ſtamina ex centro duci recta,ſuper quæ ſubtegmina circumgyrantur contiguè,donec ſphærica figura quaſi perfecta introducta ſit,ſic in auro forma ipſi materiæ ex materiæ ſinu ſimul ſemelque intertexitur, hoc modo,ut quo magis illa excreſcat,hæc minuatur,compoſitumque naturale numeris ſuis abſo-

lutius

lutius fiat. Si quoque corporibus à natura productio propria figura ex Geometria addicanda ſit, ut igni Pyramidalis, aquæ globoſa, & reliquis ſua, imprimis Auro Circularis conveniet, ſive liquefactam ejus ſubſtantiam ſuis terminis ſe continentem reſpicias, ſive homogeneitatem puræ eſſentiæ, quæ angulis quibuſcunque heterogeneitatis carens, in ſe ipſam redit puriſſima & conſtans, nullis elementorum injuriis obnoxia aut ſubjecta: Ex figuris enim omnibus, ut Circulus eſt capaciſſimus, ſimpliciſſimus & ab injuriis obſtaculorum maximè immunis, ita & Aurum inter naturalia corpora omnia plurimum habet materiæ, atque hinc ponderis, minimumque fæcum aut ſuperfluitatum, unde ſimpliciſſimum & quaſi incorruptibile exiſtit. An non hic eſt ille Circulus rotundus, ex maſculo & fœmina conſtans ex quo triangulum, atque hinc quadrangulum extrahendum, quod in circulum iterum reducendum eſt, ſi authori Roſarii credimus? An non hujuſce circuli duplicatio intelligatur à Philoſopho Zachario, qui eam à Principe Galliæ ſe accepiſſe teſtatur? Quid multis? Hoc eſt circulatorium opus à magno illo curſore mundi, Sole, multis millibus circumgyrationibus factum & productum. Dum enim Heros ille, tanquam gigas exultans, ab ortu exurgit, & in occaſum properans demergitur, ut iterum ab ortu redeat continuè, has circulationes cauſatur, inque materia ſplendida argenti vivi, velut in ſpeculo, ideas relinquit, ut humanâ induſtriâ aurum inquiratur, ab adhærentibus ſegregetur, igne, aqua examinetur, & in uſum Deo Creatori placentem transferatur. Hic eſt circulus à natura ipſa circumſcriptus, non imaginatione Mathematica, ſed reali & Phyſico ductu delineatus, ad quem collimant omnes res humanæ,

3. Ratio.

4. Ratio.

Aurum circulatorium opus Solis.

Aurum circulus naturæ.

humanæ, tanquam ſagittæ ad umbonem & metam. Hæc eſt linea in ſe reducta (tanquam anguis capite caudam propriam prehendens) ex qua ſummus ille & æternus pictor & fictor, DEUS (ut olim Apelles Cous & Durerus Noricus ex linea & circulo) propriè agnoſcitur, etiamſi alia documenta non occurrerent. Hoc eſt lutum ſplendidū rota & manu maximi illius & omnipotentis figuli ſubactum formatumque in ſubſtantiam pulcherrimam, in qua radii ſolares congregantur & elucent, haud dubii teſtes illius ætheriæ claritatis & lucis, in terreſtri materia detentæ & portatæ. Imò hæc eſt unica Promethei ferula, qua hauſit & deduxit ignem cœleſtem ad mortales, nimis ob hoc donum ingratos: quam ſi quis ob ingratitudinem innatam, animíve vecordiam non agnoſcat, cum pueris ad ferulam mittendus eſt.

Aurum lutum ſplendidum.

Aurum Promethei ferula.

CAP. II.

In aureo circulo eſſe quadraturam quatuor qualitatum, hoc eſt, æquationem factam.

AURUM circuli inſtar ſe habere, ſuccinctè demonſtravimus, nunc quadraturam in eo ſubjiciemus; de qua, cum plurimi Problemata & exercitationes Geometricas ediderint, nos actum agere videremur, ſi eandem in Palæſtram deſcendentes eadem de iiſdem occineremus, hoc eſt, ſurdis fabulam narraremus. Quocirca tam ſubtilia fila retexenda nobis non ſumimus, utpote, quæ fortè plus laboris, quàm lucri, plus ſubtilitatis, quàm doctrinæ utilis habitura ſint, ac legentem rariorem, intelligentem verò rariſſimum invenirent; ſed longè

gè alio ſenſu & captu ea damus & accipimus. In auro itaque dicimus, tanquam in circulo à natura delineato, quadrationem quandam exactiſſimam factam eſſe, quod Ariſtoteles (ut ſupra meminimus) nec dum ſcitum, at ſcibile, aſſeruit. Nullum eſt dubium, quin plerique hoc de Mathematica æquatione intelligant, quomodo nimirum area circuli dati in aream quadratam illi æquali capacitate correſpondentem, ſecundum artis axiomata vera reducatur, licet potius Ariſtoteles Phyſicas & concretas, quàm abſtructas quantitates tractârit, tamen nos pro inſtituti ratione de longè alia interpretamur, quæ ut facta eſt per naturam, ita cum à pauciſſimis ſcita ſit, pro non facta vel impoſſibili habeatur. Natura, *inquam*, dum circumgyravit aureum circulum, in ipſo motu qualitates quatuor in eo æquavit, hoc eſt, homogeneam illam ſimplicitatem in ſeſe redeuntem quadravit, ſive in quadrangulum duxit æquilaterum, hac ratione, ut contraria à contrariis & hoſtes ab hoſtibus æternis quaſi vinculis colligentur, & invicem teneantur. Ut enim quadratus ille proverbio dicitur, qui ſemper ſibi ſimilis in adverſis & lætis, ita quadratura qualitatum, æquatio eſt, cui nihil, à quo lædatur vel efferatur, contingere poteſt. Verùm cum non cujuſvis ſit imaginari hanc æquationem in materiatam abſtruſa & ab oculis hominum, dum actio illa peragitur, remotâ, eam, prout poſſumus, rationali conſiderandam ſubjiciemus. Primò ex naturæ theſauris abditis, in terræ viſceribus fumoſa ſubſtantia argenti vivi liquidi, nec dum congelati, calore ſubterraneo, qui locis centro propioribus fortior eſſe dicitur, rarefacta aſcendit, quæ in ſua propria natura frigida & humida exiſtens, dum alteri vapori calido & ſicco ſeu ſulfureo, mutuo complexu

In auro quadratio

Quadratio circuli facta in auro

Quadratio in auro quomodo fiat naturaliter.

conjungitur, continuo calore circumeunte ab hoc ſulfure aliqua qualitas calida & ſicca illi argẽto vivo communicatur, quæ primum ad ſenſum non perceptibilis, poſt ſucceſſu temporis accreſcit. Exempli gratia: Habeantur in vaſe magno, tempore brumali frigidiſſimo, aquæ fluvialis centies mille centenaria pondera, quæ eò uſque reducenda ſunt, ut nec frigida nec fervida, ſed tepida & temperatiſſima ad ſenſum videatur aqua, & quaſi ad æquationem qualitatum (licet momentaneam, & non conſtantem) reducatur: Exiguo calore aliquantulum aquæ ejuſdem incaleſcat, nempe vigintiquatuor horis, ad drachmam unam, quæ deinde mixta cum tanta aquæ frigidiſſimæ mole ne tantillum in ea alterat ad ſenſum, licet (dato eo, quod in illa aqua calidæ qualitates introductæ ſemper permaneant intenſæ, nec evaneſcant) ad rationem quid, ſed valdè exiguum. Hoc pacto annuo ſpatio, 365. drachmæ, ſeu libræ 2. & drachmæ 109. calidæ aquæ perficiuntur, hoc eſt mille annis, 2000. libræ & amplius. Cum verò una drachma aquæ calidæ mille drachmas aquæ frigidæ ad temperiem redigere præſupponatur, patet mille annis, 2000000. libras aquæ frigidæ contemperari, quæ ſumma ſaltem quinta pars eſt aquæ frigidæ præſuppoſitæ, à qua ſi quatuor partes ſeparentur, quinta remanens erit 2000000. librarum æquatarum ſeu tepefactarum, in quibus ſaltem milleſima pars, ut dictum, eſt calida & ſicca, nempe 2000. libræ. Eundem ad modum in mineris ſubterraneis ſuâ naturâ frigidis & humidis, quoad argentum vivum (quoad ſulfur verò terreſtre & comburens admixtum diverſimodè & accidentaliter calidis) calor aliquas exiguas particulas vincit, coagulat, ſibique aſſimilat, hoc eſt, calidas & ſiccas reddit, quæ ſi per ignis vehe-

mentiam

mentiam inde ſeparentur, combibunt, millenas ſui de argento vivo frigido & humido, eaſque æquando qualitatibus quatuor in aurum reducunt. Quæ operatio eò uſque continuatur, donec totum per partes ſuas perficiatur, quod contingit fortè mille annorum ſpatio. Hic eſt Tetragonus in ſe reductus ſive cubus Phyſicus, cujus radix eſt quaternio, corpus verò 64. Ex quaque enim qualitate oportet eſſe ſedecim particulas in unoquoque latere, ſi æqualitas ſupervenire debeat; quòd ſi plures aut pauciores fuerint, anticipatio continget in qualitatibus quibuſdam. Hæc eſt aureola illa Domus ex quatuor angulis confecta, ex quibus ſi unus aliquis deficiat, ut corruat, neceſſum eſt. Hic eſt Circulus ille bis ſectus, nempe in quatuor angulos rectos, quorum ſi unus obtuſior aut acutior altero fuerit, perpendicularis proportio in omnibus interrumpitur. Hæc eſt phalanx illa quadrata, quæ cum æquilatera ſit, inter figuras omnes fortiſſimè quemcunque impetum expectat. Si enim ab Oriente hoſtis ingruat, ab Occaſu illi reſiſtitur, ſi ab occaſu, ab oriente, & ſic de aliis lateribus dicendum, quorum unum alteri æqualiter manum impertit, & ſtipando ſubvenit. Nec verò timendum, quod in eminentiis ejus vis fiat, cum hæc quadratura in Circulo concludatur, qui ab omni injuria, ut dictum, immunis eſt: Hoc vallum exiſtit & hic murus, non aheneus ſeu corruptibilis aquis, ignibus, ſed aureus, quo acies illa quadrilatera cingitur, ne quicquam à Vulcano, Neptuno, Jove aut Plutone cladem experiatur unquam.

Tetragonus Aureus.

Domus aureola.

Circulus bis ſectus.

Phalanx quadrata.

Murus aureus.

Cap. III.

In hoc aureo circulo, tanquam figura naturæ munitiſſima, eſſe dotes uberrimas reconditas, quæ non cuilibet obviæ, niſi circumſpecto rerum æſtimatori, occurrunt.

AT quid cauſæ eſt, inquies, quod aurum adeò compactum, & à natura communitum ſit, an hoc factum fruſtrà, an ut otioſorum ſpeculationes aut luſus ſaltem exerceret? De Semiramidis ſepulchro legimus, quod inſcriptionem hujuſmodi habuerit: *Tu* QUICUNQUE *Regum theſauros divitarum inexhauſtos appetis, intra me, quod ſufficiat, invenies:* Hoc cum nullus Regum præcedentium religionis causâ aperire auderet, Cyrus auri deſiderio flagrans animum ſibi addidit, ut ſcrutaretur, quid intus lateret: Verùm ibi nihil invenit præter oſſa putrida & hæc verba: *Niſi peſſimus eſſes omnium viventium, non mortuis requiem negares, eorum clauſtra inquirendo, ut auro potireris, quod hic non reperis, niſi dedecus tui generis.* Non ita ſe rem habere cum auro exiſtimandum eſt, tanquam Creator illud tam arctè concluſerit, ut avertat curioſos ab ejus inſpectione ſolummodo abſque cauſa; imò potius ideo abſcondit, ut aperiatur & perluſtretur. Quæ enim pulchra & optima ſunt, nunquam natura vileſcere voluit, aut ante pedes jacere, ſed *ſemper ſudorem ante virtutem poſuerunt Dii immortales*, ut Heſiodus inquit: Quæ rara, cara, & τὰ καλὰ, δύσκολα: Caſtaneæ nuces, amydala & ferè omnes fructus meliores vel duris putaminibus teguntur, vel ſpinis armantur acutis, aut quocunque alio modo, ne omnium libidi-

Digitized by Google

libidini pateant, defenduntur: Sic res precioſæ & theſauri gazophylacio, clauſtris & arcis ſervantur, vulgares verò ipſi populo proſtant, nec abſconduntur unquam: Hinc non fruſtrà Aurum ſapientiores ita ſeratum aut concluſum autumant, ſed id inſigniores virtutes, præter colorem viſibilem, in eſſentiæ ſuæ latibulis abditas habere, quas indignos ſcire aut acquirere non deceat: Alexander Magnus ſcrinium Darii precioſiſſimum rei precioſiſſimæ, Iliadi nempe Homericæ conſervandæ deputavit, oſtendens, quò continens ſeu tegumen ſit carioris precii, eò contentum ſeu incluſum illo longè ſibi carius & rarius videri: Ita & de auro judicandum, quoad faciem externam, quæ cum ſit pulchra & munita, oportet medullam ejus ſeu formam ſeu eſſentiam eſſe longè majoris virtutis & dignitatis: Principes uxores & filias ſibi cariſſimas an non in munitioribus caſtellis ſervant? Nec venena in aurea pyxide, ſed alexipharmaca & Bezoardica recondi debent, ne opium pro apio miniſtretur ignaris. Injurioſi itaque erga Deum, ne dicam, blaſphemi, exiſtimandi ſunt, qui putant, aurum ſaltem propter externas qualitates omnibus aliis rebus præpoſitum eſſe ab eo, tanquam luderet, cum humano genere, cui ſplendida in colore, virtute autem inania & frivola, æſtimanda ſuppeditâſſet & præſcripſiſſet. An verò cenſent, fortuitò gentes omnes in auri precium conſpiraſſe, abſque Dei ſingulari nutu & providentia? Quod ſi ſic, ut Epicuræi, longè à ſcopo aberrant. Socrates juvenem de facie pulchrum, ſed elinguem & malis moribus videns, *Ecce*, inquit, *plumbeum gladium in aurea vagina:* Alii Philoſophi, inter quos Alphonſus ſapientiſſimus, Reges ornatu & faſtu graves, doctrinâ leviſſimos & vacuos, aſinos coronatos, arietes

Aurum ex Dei providentia conſtitutum rerum precium.

aureo vellere, ſimias purpuratas vocârunt, innuentes animum, qui potior pars eſt hominis, corporis nitori reſpondere debere, & Regem commendari à benè regendo populum, quod à doctrina & animi culturâ provenit: Sic aurum, irritamentum malorum, dulce venenum & pondus terræ dixerimus ſolùm, niſi vires alias ſub cortice tegat, ob quas adeò gratum homini eſſe debeat. Naturæ inſtinctu parva animalcula ad objecta ſibi gratiſſima moventur, an ſolus homo ad noxia virtute craſſa? An ideo recondit aurum, quia alii hoc faciunt, nempe ob neceſſitatem? Sic opinor ſanè: At cur alii hoc faciunt? An cœco ductu & tacito ſolo conſenſu? Ita quidam reſpondent: Quod ſi verum, omnes humanæ res à caſu inani, nullo Dei conſilio, gubernarentur, quod abſit ſtatuere. Aurum enim exterius ſplendidum, cujus nulla eſſet interior virtus, tanquam pueri citra & conchas, in precio haberent: Admirarentur illud, cujus nullus eſſet uſus, nulla vis, niſi habendi ſui deſiderium apud cunctos relinquere, &, ut habeatur, ad mores perverſos incendere, quemadmodum Poëta canit:

Aurum, niſi vires abſcondat, quid.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Sed abuſus non tollit rei dignitatem & verum uſum. Aurum ergo, ut cætera omnia, non eſſe datum homini in damnum, veluti Pandoram, à Deo ſtatuimus, tanquam multorum malorum cauſam, ſed potius quaſi ſcrinium immenſarum virtutum & bonorum, quod ab ipſa natura clauſum adeò & munitum eſt, ne ad dotes in eo reconditas indigni, & cerdones penetrarent, ut ſolummodo docti, induſtrii & prudentes, quibus ſolis hæc ſcripta volumus, aliis, quibus ut ſuibus amaracinum internecinum, oletum gratiſſimum videtur, ut ſuo ſe oblectent genio, permittimus.

Aurum ſcrinium virtutum.

CAP. IV.

Cap. IV.

Aurum, quaſi Solem terrenum à quibuſdam dictum, eſſe centrum omnium humanarum actionum, veluti cœleſtis planetarum.

NOn veremur judicia illorum, qui legentes vel audientes has noſtras pagellas pro auri dignitate ſcriptas, exclamabunt, ut quidam de Hercule;

Quis laudabile non putet, aut faſtidiat aurum?

Annon ut:

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus,

ſic tu hirudo & ſititor auri, quod occinis ad ravim uſq;? Verùm his reſpondemus: Quod humanũ ſit nos homines, inter alios degentes, pati & fateri, ſed ita ſitire, ut non pro morbo, ſed grato appetitu hunc affectum agnoſcamus: Quod ſi bonum eſt per ſe aurum, & virtutes ſibi inditas habet, quid ni appetendum ſit? Ariſtoteles rogatus, cur pulchra adeò eſſent appetibilia, hanc quæſtionem cœci eſſe reſpondit; quia ſcilicet oculi proditores ſunt pulchri, idque imaginationi, hæc cordi, obferunt. Hinc Alexander Magnus, ejuſdem diſcipulus, Perſicas puellas vocabat dolores oculorum. Sumus igitur inter bonorum appetentes, non ſitibundos Euclìones aut Ictericos, ob auri deſiderium extremè laborantes, de quibus dicitur:

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ:

Et,

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. *Diogenes Cynicus.*

Si bonum eſt aurum, propter aliud, nempe neceſſitatem & uſum externum ſolummodo, quis, niſi Cynicus,

ab

ab eo tum quoque abhorreat? Quis oblatum honeſt repudiet, aut benè partum in mare abjiciat? Fuit olim illa mens quibuſdam, at rariſſimis, qui ob hanc quoque ſuperbiam, quod aurum, ſuperbire alios faciens, ſpreverint, in ore ſunt omnium & admiratione: Nobis hac ætate aurea non licet aurum non appetere, quoad neceſſitas præſcribit; Immodicam ejus Bulimiam aliis relinquimus. At ſi inter bona, & ex bonis non minimum, imò precioſiſſimum, cur non prædicetur, cur non dignis laudibus efferatur & celebretur? Cum ſint, qui quiſquilias & apertè mala panegyricè dixerint. Circulum eſſe aurum, cui quadrangulum à natura inſit, demonſtravimus, nunc idem Centrum omnium ferè terreſtrium innuimus. Ut enim Terra hæc quanta, quanta eſt Centrum Univerſi, primique Mobilis, & Sol cœleſtis, tanquam Lampas diurna circa hanc in Circulum ducitur, nihilominus ipſe exiſtens cæterorum Planetarum norma Centralis, ſit aurum in ſua natura circulare Centrum invenitur rerum in mundo proſtantium: Excipimus ſemper Divina, quibus virtutem, eruditionem & honorem adjungimus, in auri cenſum non cadentia, niſi peſſimo exemplo. Centrum communi vocabulo dicitur id punctum, à quo diametrales lineæ ductæ ſunt æquales, in peripheriam terminatæ: Ita ab auro res precio & æſtimationi ſubjacentes æqualiter diſtant, hoc eſt, Geometrica proportione, vel, ſi mavis, Arithmetica omnes ab uno auro determinentur, earumque valor & æſtimatio ponderatur. Hæc eſt Polycleti Regula, quâ Reipub. ſingula definiuntur, quâ meum à tuo diſcernitur, & cuilibet meta vivendi præſcribitur: Aurum in medio ponitur, circa quod omnes laborant homines Reges, Principes, Nobiles, Ignobiles, Cives, Ruſtici, Opifice:

Crates Thebanus.

Aurum quia bonum prædicandum.

Aurum centrum terreſtrium.

Centrum quid.

Aurum cur centrum dictum.

Aurum Polycleti Regula.

Aurum in medio omnium.

pifices, literati, illiterati, & denique quotquot in mundo degunt Quod ſi ita eſt, an non Centrum eſt omnium? An non multi operãtur, ſtudent, loquuntur, ſilent pro auro obtinendo? Reſpice bella, navigationes, mercaturas, tot inventa ſubtilia, quibus Orbis ferè totus præoccupatur, an non pro auro fiant? In Oceanum ſermonis immenſi lapſus dici poſſem, unde vix unquam emergar, ſi commoditatem & neceſſitatem auri infinitam evolvere conarer: Non ignis aut aquæ major uſus eſt, quàm auri in hac mortali vita, licet hæc in primo ſtatu ſimpliciſſimis naturæ donis contenta fuiſſet, nec auro indiguiſſet, cæteris paribus: Nunc aliter ſe res habet, cum patrium imperium à Nimrodi, venatoris coram Domino, ætate ceſsârit, regeſque terræ præeſſe populis ceperint; jura & leges, creſcente hominum malitiâ, inſtitutæ, ſepes, muri, tecta, limites agrorum & fines regionum poſiti, æs cuſum, argentum ſignatum, aurum preciabilium precium unum habitum ſit: Pauciſſima ex multis innuiſſe ſufficiat. Nullum itaque dubium eſt, ſolem hunc terrenum prælucere aliis quibuſcunque rebus, ut ſol planetis: Hi à ſole, tanquam rege, lumen omne recipiunt, cui vicariam operam præſtant aſſurgendo vel motus variatione ſeſe accomodando, dum in apogæo tardi, in perigæo celeres, nunc retrogradi, nunc directi apparent: Sic ab auro cæteræ res valorem & ſui precium conſequuntur, quæ viciſſim illi cedunt in honore, durabilitate & virtute: In honore, quia in regum coronis & ſceptris geſtatur, in poculis & patinis uſurpatur, in cathenis & veſtibus viſitur: In duratione quoniam cæteræ res in chaos Elementorum citò redeunt, aurum verò nunquam, niſi fortè tardiſſimè: In virtute, quia & Medici Hippocratici ipſi ſummas vires

Aurum ſol terra.

D aſſeri-

aſcribunt,propter quas ſuis medicinis foliatum aurum immiſcent & ægris propinant.

Cap. V.

Quod cauſæ præcipuæ,cur menſura menſurabilium & precium preciabilium ſit aurum,in ternis proprietatibus exiſtant; primò in externis accidentibus, colore, puritate, ſplendore, extenſione, pondere ſono & innoxia qualitate.

Aurum cæteris terreſtribus prævalere cum non longa probatione egeat, teſtantibus id ſingulis mundi angulis,huic ad faſtidium inculcando ſuperſedebimus,ac potius cauſas,cur ita ſit,rimabimur,quas licet diligentiſſimè Franciſcus Picus Comes Mirandulanus, Philoſophus acerrimus indagârit,cum tamen alio reſpectu id fecerit,eaſdem noſtræ Minervæ proponemus.

Aurum cur precium rerum

Auri proprietates externæ gratæ Viſui, Color.

Ex ternis itaque fontibus ſeu proprietatibus auri eas emergere ſtatuimus: Primò ex iis,quæ ſenſui externo innoteſcunt;ut viſui,colore,puritate,ſplendore. Color in auro non pallidus eſt (ut quidam,ideo pallere reſpondit,quia multos inſidiatores ſui patitur) ſed Citrinus,qui ex rubeo & albo,mixtis inter ſe proportionabiliter generatur,utpote medius inter extremas,nigrũ & album. Hic enim ut nimis diſpergit viſivam virtutem & ille in arctum contrahit,ſic Citrinus color oculorum aciem,quemadmodum & viridis, reficit,in mediocritate conſervat & delectat.

Aurum cur rubeum dictum.

Aurum rubeum dicitur à formali vel colorante & potiſſima ejus parte rubea,quæ dum

dum per cancellos albos pellucet, Citrina videtur; *Cur Citrinum ſit.* quemadmodum in virginum malis albiſſimis, dum ſanguis träſparet, pudori color cernitur. Hæc eſt Roſa purpurea inter ſpinas, Veneris ſanguine & lepore tincta, quæ non animadvertitur, niſi à ſciente inter colores diſcernere. Tinctores ex albo flavuum herbis ſuis efficiunt, ex flavo Citrinum leviter ſuperveniente rubedine, ne quid de reliquis adjiciam. Fuſores metallorum cuprum rubei coloris in flavuum latonem mixtione cum tutia ſubalba vel fumo metallorum alborum promovent. Unde manifeſtè patet, ex rubeo & albo Citrinum emergere; qui color auro proprius eſt, & ex rubea albaque ejus ſubſtantia, unita, componitur. Quemadmodum enim aquæ rubeæ & albæ ſimul confluentes, medii coloris aquam reddunt, ita magis cocta in auro pars cum crudiori mixta, eam tingit, & vice versâ à tincta diluitur. Etſi verò non omnis venuſtas à colore petatur, nec quod pulchrum, mox virtuoſum exiſtimetur, tamen quia *gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus*, eò acceptabilior eſt hæc inter metalla ſpecies, quò colore eſt ſpecioſior. Ut enim quilibet talis præſumitur, qualem ſe hominum oculis, extrinſecus ornatus, infert, ita aurum à pulchro & grato ſuo colore apud vulgum primam commendationem meruit, hac præſuppoſita ratiocinatione, ſub tam pulchra veſte corpus præclaræ indolis latere, aut in domo tam honeſta Dominum ſingulari gravitate præditum habitare. Quæ de colore auri dicta ſunt, eadem de puritate & ſplendore ejuſdem accipienda veniunt. Puritas ſeu homogeneitas eſſentiæ ſimplicitatem arguit, quæ quò major eſt, eò ad Circulum, æternitatis ſymbolum, ſive punctum indiviſibile propinquius accedit. Animalia & vegetabilia ex par- *Puritas.*

tibus heterogeneis & organicis conſtant, ideoque morti obnoxia ſunt; Elementa verò ipſa, quia ad ſimplicitatem magis tendunt, licet non ſecundum partes, tamen ſecundum totum, permanent. His adfinia ſunt ex Elemētis compoſita puris, multiplici mixtione interveniēte, qualia ſunt inter metalla, perfectiora dicta. In his fortior compoſitio, & per minima mixtio effecit vinculum Elementorum gravium & levium arctiſſimum, quod vix ſolubile ſit humanis viribus aut tēporū injuriis. Puritas verò in auro prævalet magis, quàm in reliquis metallis, quia hoc magis calore coctū, coctione purgatū, purgatione conſolidatum, & totum aurum merum factum eſt. In lacte tres ſunt ſubſtātiæ ſeparabiles, quæ à ſe invicē differunt colore & cōſiſtentia, ſeroſa, butyroſa & caſeoſa: ſic in vino, ſanguine & aliis liquoribus videre licet. At in auro quamvis ſint binæ eſſentiæ à natura conjunctæ, tamen utriuſque eadem eſt denominatio, puritas & homogeneitas, eadem radix, baſis & origo, nempe Mercurialis; quæ una eſt ex cauſis, cur nulla ſeparatio fiat in auro partium, ſive igne, ſive aqua torqueatur. Splendor ab aquea & clara ſubſtantia terræ homogeneæ incorporata provenit, qui ideo major eſt in auro quàm in cæteris metallis, quia aqua lavit in hoc magis ſuam terram, eamque penetravit & ſibi univit. Proprium enim aquæ eſt ſplendere, ut ignis fulgere & rutilare: Utrumque in auro conſpicitur. Dum enim ſplendet, rutilat & fulget, inſtar ſtellarum in nocte micantium: Utque ſplendor Soli cœleſti proprius eſt, indéque communicatur Lunæ & cæteris cœli facibus, ſic & terreſtri, hoc eſt, auro; quod cum aqua & igne, nec non aëre & terra proportionaliter temperatum ſit, hinc ſplendidum fulgorem noctu diuque oculos humanos

Splendor.

perſtrin-

Digitized by Google

perſtringentem de ſe projicit. Quod præter ipſam experientiam teſtatur Hermes cap. 7. tractatuum 7. *Ideò, inquit, Philoſophi ipſum prætulerunt & magnificârunt, dicentes, Aurum hic haberi in corporibus ſicut Sol in ſtellis ſub lumine eſt ſplendidior.* Et Geber in Summa lib. 2. cap. 5. *Quod verò aurum claram & mundam ipſius* (argenti vivi) *ſubſtantiam habuit, per ſplendorem ejus fulgorem & radiantem manifeſtatur non ſolùm in die, verùm etiam nocte.* Præterea tàm tactu, quàm viſu Auri incredibilis extenſio ſeu dilatatio & pondus explorantur, in quibus proprietatibus cum longè ſuperet omnia alia metalla, videntur illæ eſſentiam auri magis exprimere, hominibusque gratum facere. Tantũ enim unicà uncià auri deaurari, quantũ vix denis argenti argentetur, referunt illi, qui experti ſunt, ob ſummam ejus ſubſtantiæ ſubtilitatem & concoctionem, quæ in argento non tanta occurrit, quippe crudiori & craſſiori corpore, in quo non tanta & tam diutina, quàm in illo, elementorum attenuatio & commixtio facta fuit; quod patet in uvis immaturis, quarum ſuccus refrigerat, aſtringit, incraſſat & repellit, cum vinum depuratum ex iiſdem maturis contrà calefaciat, aperiat, attenuet & diſcutiat. In hoc enim ſpiritus ille ætherius maturatione & calore Solis ſatis elaboratus, circulatus & perfectus eſt, qui omniũ vini operationum author exſiſtit; in illis nequaquam. Simili modo in auro ſulfur eſt rubeum, maturum, diutiſſimè excoctum, ideoque partium tenuiſſimarum & quaſi ætheriarum, unde omnis ejus extenſio, dilatatio, penetrabilitas & foliatio contingit; In argento verò ſulfur album & non ſatis coctum invenitur. De ponderis auri quoque experimentatores teſtantur, quod ferè duplum habeat argenti, ſub iiſdem quantitatis dimenſionibus, ita ut ſi per idem fora-

Tactui. *Extenſio.* *Pondus.*

Digitized by Google

men fila diverſorum metallorum trahantur, ejuſdem craſſitudinis & longitudinis, Aureum ſit in pondere docimaſtico granorum 72. argenteum 36. totidem plumbeum, ſtanneũ 25. cupreum 30. ferreum 27. chalybeũ 28. ſi Claveo debetur fides; Quamvis Erkerus auri argentique in pondere proportionem paulò aliter obſervarit.
1. *Notabile ſcitu digniſſimum.* Ubi notabile quid jam dictus Erkerus, Cæſareæ Majeſtatis per Bohemiæ regnum metallorum ſcrutator ſeu Docimaſtes acerrimus, adjicit; nempe nullum aurum à natura vel arte depuratum inveniri, aut adeo depurari poſſe per ignes, aquas aut alia criteria, quin ſemper tantillum de argento, naturaliter ipſi immixto, apud ſe retineat.
2. Idem de ipſo argento teſtatur, vix immuni omni ex parte reddendo à plumbo, quomodocunque examinetur vel probetur.
3. Quibus accinit hoc axioma, ab experientia deductum, quod omnis minera plumbi vel etiam alterius imperfecti metalli ſemper granum, tanquam Embrionem, argenti in viſceribus ſuis abſcondat, ſive hoc ſit operæ pretium, ut ſeparetur ſive non. Et
4. ſic, quod minera argenti quælibet aliquantulum auri eæ prolis foveat & retineat, quicquid oſores doctrinæ metallicæ contra futiliſſimè diſputent.
5. Ubi & hoc ipſius naturæ placitum & omnium in metallicis locis ſeu fodinis expertorum, ut apparet, Paradoxon, imò veriſſimum dogma, aſſcribemus atteſtante Reverẽdo & Doctiſſimo Viro M. Johanne Matheſio vallis Joachimicæ (ubi ſeſquimille, & amplius metallicos operarios noctu diuque occupatiſſimos per tot annos; circiter 100. huc uſque vixiſſe conſtat, ex quorum conſenſu & relatu ſuam hanc hauſit doctrinam) divini verbi olim miniſtro, in Sarepta ſua de metallis, eorumque ortu diſertiſſimè, licet Germanicè, editâ, nempe non ſolùm metalla
omnia

omnia ex argento vivo & ſulfure orta eſſe & oriri, ſed quoque adhuc in viſceribus terræ & mineris ſuis creſcere, hoc eſt, ſuo modo vegetare, augeri & fieri mixtione & concoctione naturali, quemadmodum ſupra terram creaturæ aliæ, nec ſimul & ſemel eſſe creata & facta ab initio; imò benedictionis divinæ verbum; *Creſcite, & multiplicamini,* his quoque mutis & latentibus creaturis à DEO dictum. Adhæc, quod amplius eſt, eadem ex imperfectis perfecta fieri gradatim & uſq; ad acmen provehi, ad quam cum pervenerint, accedente calore immodico, abſumi, comburi & imminui; atque ſic ætates ſuas diverſas, infantiam, adoleſcentiam, maturam & ſenilem experiri. Quæ, ſi ita ſunt, quemadmodum dictus Vir Reverendus (à Chymicis aliàs prorſus abhorrens, ne quid in illorum gratiam retuliſſe exiſtimetur) multis argumentis & experimentis demonſtrat (quæ ſuo videantur apud ipſum loco) taceant alii, qui hanc in metallis potentiam negant, exibilant & explodunt, utpote ingrati erga benignam matrem, Naturam DEI opificis miniſtram ejusque ſcrutatores iniquiſſimi rerum cenſores; quibus & hoc obiter enodandum relinquo, ſi metalla in ſe invicem non ſint natura vel arte mutabilia, ut cauſam exponant, jam partim dictorum octo notabilium, & partim dicendorum; Cur metalla omnia perfecta & imperfecta in argentum vivum currens reduci queant, quod adeò vulgatum eſt, ut dubitationem nullam admittat; Cur ferrum in chalybem, & utrumque in cuprum tranſeat, non ſolùm per aquas, naturales in fodinis Zepuſienſibus, Goſlarienſibus (ut oculatus teſtis adfirmare poſſum) & aliis, ſed etiam artificiales vitrioli communis ſolutivas; Ubi, ne quis ex vitriolo, cupri atomos ſeu ſemina in ferro corroſo congregante, id accidere

Margin numbers: 6. (beside "quoque adhuc… creſce-"), 7. (beside "à DEO dictum…"), 8. (beside "vehi, ad quam…"), 9. (beside "notabilium…"), 10. (beside "nullam admittat…").

cidere

cidere opinetur, ut Gulbertus & alii cavillantur, notandum, quod hoc & à natura & arte refutetur hoc modo: A natura, ut ante dictus Erkerus obſeruavit; quia in Cuticenſibus fodinis, ferrei clavi lignis infixi, ibique per aliquot annos retenti, in merum & verum cuprum, integra ſuâ ſubſtantiâ tranſmutati ſint. Ab arte; prout alii experimentati ſunt; abſque vitriolo, ſolo oleo ſulphuris per campanam facto, cum duplo aquæ fontanæ commixto, cui chalybis vel ferri laminas tenuiſſimas ſæpè ignitas & reſtinctas in aqua frigida, incoquendas per ſex horas lento igne, tradunt; unde vitriolo viridi poſt refrigerationem vaſis collecto, inque aqua communi cum aliis laminis chalybis, bullito, nitellas æris, igne propriè reducendas, apparituras. Graviſſimum verò pondus in auro efficiunt elementa terreſtria, in copia excedentia, ut & aquea, ab aëreis & igneis in virtute prævalentibus per minima penetrata, conſolidata & repleta, ut nulli pori aëri relicti ſint, ita ut quidam ſtatuant, in eo eſſe octuplum terræ, quadruplum aquæ, duplum aëris & ſimplum ignis, quoad ſubſtantias elementorum; quoad virtutes verò & qualitates, unam particulam ignis in efficacia correſpondere denis aëris, centenis aquæ, millenis terræ, & quibus omnibus mixtis & remixtis anaticâ proportionē ſeu æquationē auri produci. Quorum omnium, ne nos ipſi authores videamur, plurima teſtimonia adducere liceret, ſi opus eſſet. & ratio ſcripti exigeret. Verùm cum per ſeſe pateant, nec ab ullo, niſi ignaro, in dubium revocari poſſint, aliis prætermitis, Bernhardi Comitis, Philoſophi practici & experti (cui non minus, quàm alteri, in ſua arte, artifici fides adhibenda eſt ab inexpertis) hac de re authoritatem proferemus, qui in epiſtola phyſica ſua ad Thomam de Bononia;

11. Nota bene.

12.

Experimentum aliorum.

In auro cur pondus graviſſimum.

nonia; *In auro eſt,* inquit, *multò magis de elemento graviori & paſſiviori, materia ſcilicet, & non qualitate, quam de leviori & activiori, id eſt, quantitate. In eo major eſt terræ quantitas, quàm aquæ, & major quantitas aquæ, quàm aëris, & major aëris, quàm ignis. Propterea omnium metallorum eſt graviſſimum In hac tamen inæquali proportione quantitas eſt æqualis & anatica proportio qualitatum calidi, ſicci, humidi & frigidi; quia quodlibet horum eſt in auro, ut jam prius dictum eſt. Cujus cauſa ponderis eſt permanentia ſoliditatis terræ & aquæ & ſolutio aquæ homogeneæ cum terra; quia aqua ſolvit terram homogeneam. Item cauſa ponderis eſt intrinſeca eorum per minima permixtio quia aqua non patitur terram poros habere, tam in auro, quàm in argento vivo, quod aliter eſt in reliquis metallis, in quorum congelatione propter ſcoriam à mercurioſitate ſeu Mercurii natura rejectam & heterogeneam eiſdem metallis permixtam, pori inſenſibiliter fiunt, unde ſupervenit levitas, quæ non eſt aliud, quam abſentia materiæ & ejuſdem poroſitas; ut gravitas non est aliud, quàm ſolida appoſitio materiæ.* Hæc ille. Reſtat ſonus in auro, qui obtuſus eſt & quaſi nullus ſeu mutus propter cauſas eaſdem, nempe cum ſonus fiat locis concavis, poroſis & aëre plenis, ut tympano & aliis, & aurum nil concavitatis in ſe admittat; Ergo & ex metallis minus ſonorum eſt, per ſe conſiderando; ſi verò cum aliis miſceatur, harmoniam ſeu tinnitum non inconcinnum, ſed lepidum, cauſatur. In auro equidem Apollo cum Muſis ſuis auditur, ex quibus hæ ducunt choreas & ſaltant ad lymphas fontis Hippocrênes, ille canit ad citharam & dictat carmina. A ſulfure enim aureo & rubeo, utpote igneo, ejus acutus ſonus provenit; A Mercurio, ceu aquoſis partibus, gravis. De Qualitate innoxia auri dicimus, quod in cibis & potibus pro patinis & poculis Regum & Principum optimè inſerviat,

Auditus ſonus.

Guſtatus innoxia qualitas.

E viat,

viat,cum illis nec æruginem,nec ferruginem vel plumbaginem,aliudve ſimile,humanis viſceribus ingratum & noxium,adminiſtret,ſed contenta edulia & potulenta tanquam diligentiſſimus Condus Promus accipiat & reddat. Acetoſa,ſuccus cibi,limonum in vaſis aliis metallicis potius venena fiunt, quàm Alexiteria adverſus venena,cum corrodantur ab ipſis vaſa,quemadmodum & ipſa lapidea & marmorea, in auro verò manent, quæ ſunt,imò in virtute augentur. Hinc quæ mala à plumbeis canalibus & vaſis,quibus aqua ducitur & continetur, in cibis & potibus uſurpata ſæpius, inferuntur, ut ſunt ſtrumæ gutturis & nodi,auro dicuntur curari;ut patet in quibuſdam regionibus,ubi pro curatione eorum aureus,numus patientiumcollis nudis adaptatur. Ad hoc à Regibus medicantibus fit, non Medicis,qui potius accipiunt, quàm dent aurum, pro mercede. In aliis quoque locis, ubi argentum vivum ſeu inſpiratione ſeu inunctione corporibus humanis ſe inſinuaverit,per idem aureum remedium illud educi & captari poſſe, ſunt, qui teſtantur. Innoxiam verò qualitatem in auro inprimis animadvertimus in uſtulationibus,quæ ſi fiant cum auro abſque fœda exulceratione aut eroſione,imò abſq; indecenti cicatrice perfici,ipſo uſu expertum eſt, ut in pilorum frontis eradicatione, cauteriis quibuſcunque & aliis hujuſmodi: Unde Avicenna dict.5.cap.7. *In auro*, inquit, *ſunt naturæ abſconditæ, quæ proſunt toxico, aut illi, qui percuſſus eſt ferro; & pueris naſcentibus, ſi quando natus fuerit, teneat, non timebit Dæmonem. Et ſi prægnans mulier biberit, non abortabit.* Et dict.6. cap.13. *Non putes, quod lapides, quamvis cariores vendantur auro, quòd magis valeant, quam aurum. Ideo enim precium habent, quia pauci inveniuntur; Et de omnibus rebus hujus ſeculi*

magis

magis valet aurum, & ita fuit, & erit per omnia ſecula. Item dict. 1. cap. 2. *Et ſicut Sol magis valet, dans fortitudinem ſuam uſque ad Saturnum, & deorſum uſque ad Lunam, & ita aurum eſt precioſius omnibus aliis; Et ideò, quia omnes res cœleſtes ſunt mixtæ cum terreſtribus.* Hæc Avicenna. Quæ omnia & ſingula antedicta primam & externam quaſi cauſam præbuerunt hominibus, quòd aurum ita honorârint, pro precio preciabilium aſſumpſerint, & quibuſcunque aliis terreſtribus antepoſuerint, ut Monarcham. Cúmque, quod rarum, carum, & ſemper cupiamus negata, hinc auro precium augemus, ejusque ſitim magis patimur, quàm ſi ejus copiam, quantam vellemus, in propatulo haberemus, quod tamen per accidens contingere non diffitemur.

Cap. VI.

Secundò, auri prærogativam dependere ab ejus à corruptione immunitate, & quaſi perpetuitate contra omnium elementorum injurias, ut ita æternitatis imago corporea habeatur.

QUÆ hactenus dicta ſunt de auri æſtimationis cauſis, vulgo ſatisfeciſſe potuerunt, qui ſaltem exteriora reſpicit accidentia, inque iis hæret obtutu, ad interiora vix unquam penetrans, quemadmodum pueruli videntes pomum ex ejus colore & ſapore non ingrato certi nihil ulterius, cur appetant, animadvertunt. Verùm hæc prudentibus non ſatis ad palatum fuere, qui eſſentiam rerum & cauſas internas acrius ſcrutantur: Unde niſi quid aliud in auro præ cæteris mundi objectis reperiſſent, calculum ſuum alteri naturæ potius,

quàm auro dediſſent, in qua nimirum hoc, quod maximè optarent, aut reipſa, aut imaginetenus invenirent. Ut autem omni creaturæ, præſertim rationali ſeu homini, hoc in votis maximè eſt, ut cum ſit, bene ſit, nec unquam eſſe deſinat, ita videntes aurum verè unicum in rebus humanis incorruptibile exiſtere, aut longiſſimæ durationi, quæ proximè ad æternitatem accedit, aptiſſimum, hoc elegerunt unà cum vulgo conſentientes in ſubjecto, licet fine diverſo.

Aurum quia quaſi perpetuum gratum.

Aurum itaque ut pulcherrimum viſu, tenuiſſimum dilatatu, ponderoſiſſimum tactu, rariſſimum inventu, ſaluberrimum uſu judicatum, cum æternitatis haud obſcuras in ſe oſtendat propietates, præ aliis, ſapientibus arriſit, ut eſſet corruptibilium norma, terreſtrium theſaurus & elementorum compendium. Exiſtimârunt inſuper æternum illum Univerſi Creatorem (qui ex elementorum ſinu & capſula omnia corporea ſublunaria eduxit) cum individua hominum per ſe, ut jam vivunt, æterna non creârit, ſed per ſobolē ſubſequentē eorū corruptioni & elemētali diſſulutioni conſuluerit & ſubvenerit, voluiſſe aliq; ſymbolum & tecmyrion æternitatis poſt hanc vitam futuræ, cum corpus & anima eodem vinculo ſocietatis quaſi poſtliminio copulabuntur, nobis ob oculos proponere, unde tanquam ex aperto libro ea, QVÆ JAM NON SUNT, SED ERUNT, QVÆ VERO SUNT ET ESSE DESINUNT, quotidie diſceremus, nempe Aurum corporeum & elementatum à natura factum, non deſtruendum, quoad terminus mundi adfuerit. Animalia, plantæ & reliqua omnia in hac mundi inferioris machina ſeu theatro, oriuntur, augentur, diminuuntur, moriuntur, pereunt, & perſonas ſuas mutant, imo eſſe incipiunt & deſiſtunt, pro magni illius Actoris voluntate.

Aurum ſymbolum æternitatis.

te Solum aurum à prologo ad Cataſtrophen expectat, omnes actus perficit, in omnibus ſcenis currit, nunc Rex, nunc ſervus, nunc Medicus, miles, agricola, mercator, ut ipſo Vertumno aut Protheo plures aſſumat formas & habitus. Omnes enim homines ſeu ſuperiori ſeu inferioris ordinis hoc uno decorari cupiunt, hoc uno honorari, imò & ſexus fœmineus hos ſibi datum ad mundum & delitias arbitratur, & quis non ſibi vendicat Aurum, ut proprium? Sexcenta ſunt artificum genera, quæ id ex ſuis tenebroſis clauſtris eruunt, ab admixtis ſegregant, purificant, fundunt & elaborant. Plures, qui propter id lucrandum & obtinendum, inſudant: Cauſa hæc una eſt; quia etſi à furibus & prædonibus auferri poſſit, tamen ab igne & aqua, carie, putredine, tineis & vermibus præſervetur, ut tutiſſimum vitæ humanæ Balſamum & Viaticum, quod in parvo corpore multarum rerum cenſum contineat, tanquam alter Tydeus, de quo dicitur, quòd parvus mole corporis, magnus virtute mentis extiterit. Si quis ab oriente in occidentem, vel à ſeptentrione in meridiem, aut vice verſa tendat, Comes itineris aureus numus aptiſſimus eſt; quia nec gravat portantem, ſed lætitiâ potius afficit, cum ſeſe captivum pro Domino ſuo in exteris oris apud barbaros duci patiatur & detineri, ut Dominus liber per mundum migrare poſſit: qui eidem victum & amictum, equos, quadrigas, arma & gratiam apud cunctos quærit, ſeſe pro pignore ſiſtens creditoribus. Aurum ſolum non formidat hoſtes, quia intrepidum, licet ferè omnium inſidias patiatur, invictumque permanet, licet vim ſentiat. Ignis quidem illud liquefacit, at non deſtruit; aqua corrodit, at non conſumit; Oceanus abſorbet, ſed in fundo ſuo abſcondit & poſt revomit. Hoc

Aurum perſonam perpetuam ſuſtinet in ſcena mundi.

Aurum vitæ humanæ Balſamum.

Aurum ſervus fidiſſimus.

unum ridet omnes omnium conatus hoſtiles, eſtque veluti Cygnus invulnerabilis, à nullo, ne Hercule, ſubjugandus. Hæc eſt Aquila illa gemina Delphis (ubi Apollo ex auro ſolido aram, ex Crœſi illius ditiſſimi dono, mille laterum habuit) utrinque verſus Ortum & Occaſum ad terrenum orbem circumlineandum emiſſa, quæ eodem loci revertitur. Aurum ſolum, ut ſapiens, quamlibet terram elegit pro patria, cum ubique bene ſe habeat, omnia ſua ſecum portet, nec aliena appetat, ipſum ab aliis ſemper appetitum: In hoc uno æternitatis imago relucet, cum idem tanquam pulcherrimus ille Narciſſus ſeſe in fonte aquæ ſplendidæ contempletur, ſeipſum depereat amore & à ſeipſo pereat perennis ut vivat. A quo enim liqueſcit, & omnia alia labaſcunt, nempe igne, nutritur ſolum, ut Salamandra, cum in igne creverit, ut Pyrauſta, quod de ſulfure ejus ſeu forma rubea intelligi debet: Cui ſanctus Euangeliſta Johannes in Apocalypſi cap. 21. ℣. 18. aſſimilari dicit *Urbem ſanctam*, affirmans, *eam fuiſſe aurum purum, & ſimilem vitro puro:* De quibus verbis Matheſius in Sarepta Conc. 15. *Textus equidem Johannes*, inquit, *videtur non de communi auro, quod apud nos cognitum eſt, loqui, ſed de novo & ſingulari quodam auri genere, quod ſupra priſtinam ſuam nobilitatem & vim in novo mundo proprietates habiturum ſit ad inſtar criſtalli, nec tantum refulſurum, ſicut lapis auri vel hyacinthus, qui tantum auri colorem habet, ſed hic etiam ipſum aurum ſpiſſum ac defæcatum fore & perſpectibile.* Hæc ille. Quæ ſimilitudo ideo ab auro deſumpta videtur, tum quia hujus forma abſtracta à materiali parte inſtar vitri ruberrimi & pellucidi appareat, tum quia tota ejus compages quaſi æternis vinculis ligata inter ſe cohæreat, ideoque æternæ civitatis, Hieruſalem ideam repræſentet: A ſtramine

Aurum Cygnus invulnerabilis.

In auro æternitatis imago.

Æterna civitas comparata auro.

ſtramine enim & ſtipulis, aliiſve combuſtibilibus & facilè perituris rebus allegoria deſumpta alieniſſima fuiſſet, ubi de perpetuo duratura ſocietate aut de cœleſtibus ſermo eſt, quæ nihil cum iſtis adfinitatis aut commercii, cum auro verò plurimum obtinent. Nam ut cœlum, quoad viſibile, purum eſt abſque maculis, rotundum in forma & motu, mutationi nulli ex elementis obnoxium, ſic Aurum. Quicquid beatorum hominum cœli arcem & felicitatem poſſidet, illud ſublunaria omnia, *ut vanitatem vanitatum & omnia vanitates*, deſpicit, & ab illorum injuriis liberum evaſit, etiamſi gigantea manus ſuperaddat Pelion Oſſæ, & minas horridas crepet: Ita quicquid ex imperfectis metallis aut mixtis ad auri conſtantiam à natura magiſtra, vel arte obſtetrice provectum eſt, id manet in eo ſtatu proſperrimo, donec mundus ipſe, quicquid contra fremant nugigeruli blaterones, qui ſe cœlum digitis tangere poſſe imaginatur. Adhæc Magi illi ſeu ſapientes viri, qui Regi Regũ recẽs in Bethlehem nato, Chriſto Salvatori noſtro, Genethliaca obtulerunt dona, inter cætera aurum elegerunt, utpote Regi ob æternitatis imaginem debitũ. Ut enim palma & laurus dabātur antiquitus æterno temporalibus & mox morituris Regibus in ſymbolum certæ alicujus victoriæ, ſic huic æterno Monarchæ, qui carnẽ humanam in tempore aſſumpſit, at in æternum non depoſiturus eſt, meritò datur Aurum, unum, perpetuum, tum ob humanam neceſſitatem, tum ob divinam omnipotentiam & affluentiam. Ne quid de auri uſu in Veteri Teſtamento adjiciamus, hoc conſtat, etſi ſit & habeatur æternum aurum, ignibuſque inſuperabile, tamen à Moiſe, ex juſſu divino, aureum vitulum in Eremo Idololatriæ objectum, ab Aarone erectum,

Æterno Regi aurum datum in ſymbolum.

Moſis artificium cum auro.

Exod.

Exod.cap.23.) combuſtum, ejusque pulverem aquæ inſperſum populo Iſraëlitico propinatum fuiſſe, quod non abſque miraculoſo artificio ſive divino ſive chymico factum ſuſpicamur, aliisque magis enodandum relinquimus. Cauſas verò hujus in auro perpetuitatis, quamvis ex ante dictis quilibet ſubintelligere queat, tamen hîc eas uberiores indigetabimus. Triplex omnino aurei nodi filum eſt, quo ille connectitur; Primum, Elementorũ, terræ, aquæ, aëris & ignis illa proportione & mixtionis ſubtilitate mira complexio & p minimos atomos mutua colligatio, ut terra abſq; aëre & aqua abſque igne, licet inimico aliàs infeſtiſſimo, manere nõ poſſit, ùtq; ignis aër, aërẽ aquã, aqua terrã, quaſi cathenatim conjungat in rarefaciendo, & econtra terra aquam, aqua aërem, aër ignem copulet in condenſando, ut fiat unum compoſitum, conſtans, perpetuum, licet Elementatum. Dum enim ignis externus ſtimulat aquam Mercurialem, ut ſubvolet in auras, quemadmodum in vulgari Mercurio, metallis imperfectis, aliisque liquoroſis ſubſtãtiis contingit, detinetur à terra homogenea, cui ea aqua incorporata eſt, & per aëris interceſſionem commendatur igni interno, ne ille admittat ſeparationem aqueæ ſubſtantiæ à reliquo compoſito. Nam ſimilia ſimilibus conſervantur & contraria contrariis tolluntur, ut habent Medicorum axiomata. Cum verò conſuetudo fiat altera natura, & quæ conſueta ſunt, facilè tolerantur, inſueta minus, ut patet in Æthiopibus, qui Solis ardore inde à pueris exuſti, noſtræ æſtatis intenſum calorem quemcunque facilimè ferunt, qui fortè Germanis minus aſſuetis moleſtiſſimus ſit, hinc aqua frigore continuo denſata tranſit in criſtallum vel terream ſubſtantiam pellucidam, & vice verſa Mercuria-

1. Aurei nodi filum Elementorum per minima mixtio.

lis

lis aqua calore diutino exercita, abſque evaporatione, calori aſſueſcit & fit calida, permanente qualitate. Tigris tandem diſciplinam agnoſcit, & leones & urſi domantur tempore. Quidni Elementa quoque à contrario ſuo emolliantur, ſuperentur & vincantur, dummodo violentia ſubitanea operationi abſit? Hinc natura lentè feſtinat in ſuis mutationibus naturalibus, donec Aquila Bufonem attollat, & bufo aquilam deprimat, hoc eſt, alterum ab altero inſeparabiliter teneatur, & ſulfur ex argento vivo generetur, identitate ſubſtantiæ Mercurialis manente. Secundum filum complexionis aureæ eſt in duplici jam dicta ſubſtantia Mercuriali, fixa & volatili, rubea & alba, matura & immatura; ex quibus ſi cruda alba & volatilis per ſe conſideretur, invenitur, quod in eo aqua ita adhæreat terræ, & terra aquæ, quod terra cum aqua ſimul in aëra ſeu alembicum aſcendat, quod eſt aliàs contra commune naturæ inſtitutum. Ex animalibus, vegetabilibus & reliquis omnibus calore fit ſeparatio, ut aqua abſque terra aſcendat, terra abſque aqua in fundo reſideat. At in Mercurio omnia Elementa cum aqua volant, nempe in volatili, quemadmodum & in fundo quieſcunt, nempe in fixo. Quantum enim juris habet aër in terram, ut illam ſubvehat, tantum & terra habet in aërem, ut illum ſecum in fundo retineat; Quod contingit in altera auri parte, cocta, rubea, fixa. Hæ duæ ſubſtantiæ ſimpliciter & ſeorſim per ſe mixtæ denuo miſcentur & una cum altera confunditur, ſicut fixa, rubea & cocta albam, volatilem & crudam figat, fixet & concoquat. Quæ duplex mixtio in auro naturali facta efficit, ut ejus ſubſtantia ſit indiviſibilis, & prorſus quaſi perpetua. Tertium aurei nodi vinculum eſt æquatio quatuor qualitatum.

2. Aurei nodi filum. Duplicis Mercurialis ſubſtantiæ, fixæ & volatilis conjunctio.

3. Aurei nodi vinculum: æquatio quatuor qualitatum.

Digitized by Google

Cum enim qualitates, ut accidentia, ſuis ſubſtantiis quæque adhæreant, nec ab iis ſeparentur unquam, ſubſtantiæ verò ſint inter ſe mixtæ omnimodè, hinc & qualitates in ſuis intenſis gradibus ſunt verè commixtæ ſic, ut una aliã ad mediocritatem reducat, & exactam temperiem exprimat, quæ dicitur æquatio quadrata qualitatũ elementaliũ, ut ſupra cap. 2. diſſeruimus. In cæteris mixtis, excepto auro, non eſt ejuſmodi æquatura in ſummis gradibus, & ſi ſit quo ad qualitates, non tamen ſubſtantiæ ſunt ita dupliciter per minima conjunctæ, ut terra potius cum aqua ſubvolare velit, quàm ſeparari, agente igne, eamque rarefaciente. Hinc in temperatis vegetabilium vel animalium ſubſtantiis, manna, ſaccaro, aliisve hujuſmodi facilis eſt ſeparatio Elementorum ſeu partium compoſiti, ideoque hæc temperata à calore ventriculi humani mox vincuntur & ſegregantur, ut in cibis alimentoſisque medicamentis contingit.

Caſtrum aureum. Hoc triplici muro Caſtrum aureum circumdatum omnibus Elementorum hoſtibus inſuperabile permanet, niſi quis veram clavem à Domino Caſtri acceperit diutinâ animi ſpeculatione, exercitio manuum & labore Chymico. Hoc eſt omnibus Tempis Theſſalicis, campis Elyſiis & cornu copiæ longè ante ferendum, quippe quod terreſtrium theſaurorum omnium gazophylacium exiſtit. Hoc gazas Arabum, arenas Indorum & ſcrinia Ægyptiorum longè antecellit, imò Pſyches illius (aureolo decantatæ Apulejo) voluptatum illecebris referta Aula eſt, in qua Appetitiva animæ humanæ vis nunquam non degere exoptat.

Aurum æternum non ſimpliciter. Verùm Aurum ita æternum putemus, ut ſecundum quid dictum, accipiamus. Ex fragilibus enim & caducis bonis, id eſt, in ſuis partibus firmius & conſtantius, quo ad amiſſio-

nem

nem verò ejus poſſeſſionis, cæteris omnibus par eſt,& inter Fortunæ dotes, quæ eſſe vel abeſſe poſſunt, numerandum, imò doctrina, virtute & ingenii donis adhuc longè fragilius: Unde ea conſideratione habita, quod aurum facilè amittatur naufragio, furto, vel aliis modis, Philoſophi antiqui adhortati ſunt inquilinos ſuos, ut filiis ea quærerent & relinquerent bona, quæ cum naufragio unà cum ipſis enatare, ac à furibus non comminui poſſent, intelligentes bonas literas, virtutes & ſcientiarum liberalium cultum. Verùm illi relativè & politicè aurum conſiderant, nos per ſe & phyſicè, quatenus eſt corpus naturale, mixtum ex quatuor elemẽtis, ex terreſtribus maximè ſolidũ & incorruptibile. Unde ipſum non propriè dicendo, ſit æternum, ſed æternitatis imago viſibilis, hominibus ante oculos poſita, ut à corporeo ad incorporeum; à terreno ad cœleſte, à propinquo ad remotum, à præſenti ad futurum cogitationes dirigat, quod quomodo fieri poſſit, in ſequenti capitulo trademus.

CAP. VII.

Quod totus hic mundus apertus liber ſit, docens rationales homines in genere, quod & qualis ſit DEUS, *quod hæc vita tranſitura, aliáque æternæ felicitatis expectanda ſit, in quo Aurum, qui paginam eſſe negat, Elleboro indigeat.*

SI cui hæc incredibilia & à longinquo petita videantur, tanquam ex muſca elephantem facere aut ter-

Digitized by Google

ram cum cœlo miſcere,ſit noſtri propoſiti, huic ego, ſi modò paululum me audiat, rationes dictorum ampliores & ſufficientes adducturus ſum. Antonius quidam Eremita cum in ſolitariis locis vivens indies magis devotus & doctus evaderet, interrogatus, unde tantam doctrinæ ubertatem hauriret, cum abſque libris eſſet, reſpondit: Hic totus mundus, quàm late patet, mihi de Deo, ejuſque operibus apertus liber eſt, in quo ſeneſcens ſtudeo & ſtudens doctrinis novis atque novis reficior & erudior. Hoc nobis in mundo, non in Eremo, viventibus æquè dictum & ratum ſit; quod tota hæc orbis machina, quæ à munditie Mundus Latinis, & ab ornatu κόσμος Græcis dicitur, nil niſi codex ſit multarum paginarum, in quibus, quo quis magis ſtudeat, eò doctior evadat. Incipiamus redire ad elementa literarum prima, non ut cum ſene Plautino ternas A, M, O, diſcamus, ſed quaternas D, E, U, M, agnoſcamus. Primum hujus magni voluminis folium eſt cœlum Empyræum, ipſius Dominorum Domini & Deorum Dei Opt. Max. æternum domicilium, quoad humana mens imaginari poteſt, Angelorum & beatorum omnium ſedes, manſio & requies, quò omnes, velut ad portum nautæ, aſpiramus. Hoc primum ut eſt in conſideratione noſtra, ſic ultimum in poſſeſſione. Poſt, Primum Mobile eſt cum octo ſphæris ſtellarum, unà cum ſuperiori fixarum, reliquis errantium. Utrumque in auro, veluti in ſpeculo animadvertimus: nempe illud in parte immobili, fixâ, rubeâ, quietâ & Forma auri, quæ proprium ejus ſulfur eſt & ætheriæ originis, quia Solis cœleſtis proles & effectus ſit; Hoc, utpote ſyſtema novem orbium in mobilibus, volatilibus & albis auri partibus repræſentatur, ſcilicet Mercurialibus, quæ intelligenti ſufficiunt. Secunda

Mundus codex qualis.

1. Folium codicis mundani.

Aurum ſpeculum mundi.

Digitized by Google

da pagina, quatuor elementa, quatenus talia comple- ctitur, hoc eſt, regiones ignis, aëris, aquæ & terræ. Hæc, quomodo in auro ſint efficacia & manifeſta, in præcedentibus ſatis dictum eſt. In Globo terreno innumeræ paginæ hujus magni libri patent, quas omnes recenſere aut evolvere, non eſt hujus anguſtiæ tam loci, quam temporis. Ediderunt de ſingulis alii ſua volumina, quibus ſupervacaneum eſſet, quid adjicere. Inter ea verò, quæ ex terra effodiuntur, vel ex fluviis colliguntur, cum aurum ſit præſtantiſſimum, ideo in hoc mundano codice non negligendum, ſed altius conſiderandum eſt. Si quidam in apicularum ſpeculatione ſola conſenuit, atque inde DEI providentiam & omnipotentiam aucupatus eſt, quid nos non faciamus in auro? quod licet partes non habeat organicas, nec motus aut operationes viſibiles, tamen cum inter bona fortunæ optimum ſit, & non, niſi longiſſimo temporis intervallo à natura producatur, merito quoque inde DEI præſentiam atteſtari liceat: ſi rectè Poëta cecinit;

1. Pagina libri mundi.

Aurum magni libri magna pagina.

Præſentemq́ refert una vel herba Deum.

Annon idem de hoc precioſiſſimo DEI dono prædicandum eſt? Mutum quidem aurum eſt, quoad ſonum aut vocem, nihilominus tacito quodam effectu ſuæ eſſentiæ clamat, & de DEO teſtimonium ubique perhibet. Si in tricolori viola, quæ herba Trinitatis vulgo dicitur, ob colorem trinum, æterna TRINITAS & MAJESTAS Divina exprimi putatur, in ſubjecto adeo vili & quolibet vento vel æſtu perituro, quidni eadem potius in auro (quod non à vento, ſed nec ardentiſſimis ignibus aut ſtygiis aquis conſumitur) tanquam divino quodam ſpeculo, repræſentetur? Nam, ut DEUS unus in eſſentia, at Trinus in perſonis eſt, nec propter perſonarum

Aurum ſua eſſentia exprimit Trinitatem.

Digitized by Google

ternarium numerum tres ſunt Dii, nec propter eſſentiæ unitatem Una ſaltem perſona eſt, ſic in auro una eſt ſubſtantia homogenea, Mercurialis & inſeparabilis, in qua tamen ſubſtantia ſulfurea & rubea per ſe conſideratur, & alba per ſe; quia rubea ab alba præceſſit, tanquam à patre filius, nihilominus quia punctum illud Phyſicum rubeæ & fixæ ſubſtantiæ fixavit albam, atque hinc fecit eam æquatam & auream, inde in auro facto à natura neutrum illorum fuit prius & poſterius, ſed unum ad alterum relativè reſpicit. Cum verò hæ duæ ſubſtantiæ ſint unitæ & colligatæ mutuò, hoc earum vinculum, quod in eſſentia non differt à colligandis, eſt tertium in hac trina unione. Hæc intellectui dicta niſi ſufficiunt; En ſenſui oculorum eadem manifeſtemus. In Amauſis ſeu vitris rubeo vel alio colore tinctis tres ſunt ſubſtantiæ in unitate inſeparabiles; primò criſtallinum vitrum, ſecundò color rubeus vitrificatus; quæ duo dum confunduntur, tertium intervenit, quo uniuntur. Videmus enim in ejuſmodi vitro rubeo, quo decoratur aurum ab aurifabris, tria diſtincta, colorem tingentem, ſubſtantiam tinctam & ſuſtinentem, & ſubſtantiam, per quam pellucet & apparet, quæ ſi unum dixeris, non falleris. Quod tingit enim tinctum eſt, & quod ſuſtinet, ſuſtinetur, eaque ſingula pellucent. Idem alii per laternã ex cornu tranſparentem declarant, in qua id, quod ſuſtinet lumen, unum eſt; ipſum lumen, quod ſuſtinetur alterum; tertium, cornu, per quod lumen tranſmittitur: ſed hæ tres ſubſtantiæ cum non ſint unitæ, craſſo modo ſaltem rem exprimunt, ut eò melius intelligatur: In auro omnia ſunt unum, atque illud unum tripliciter conſideratur vel ut ſubſtantia terrea, quæ in fundo manet, & tanquam oſſa in homine, alia ſuſtinet; vel ut ſubſtantia aquea

Iſaac lib. 2. cap. 93.

Iſaac lib. 2. cap. 90.

In auro omnia unum.

aquea & aërea, quæ ſuâ naturâ in altum ſubvolat, ſed à terrea detinetur, ne poſſit, eſtque veluti caro & humores in homine; vel út ſubſtantia ignea, quę rubea eſt propriè & cæteris duabus profundiſſimè unita, eas permeans & maturans, eſtque velut ſpiritus vitalis & animalis, calidumque nativum in humano corpore. Imò ipſum aurum hominis partes, tanquam Microcoſmi idea, optimè exprimit, tam animam, quàm corpus; quarum una immortalis, altera ex corruptibilibus elementis condita eſt, mirabili modo inter ſe junctæ, ita ut ab animâ, tanquam causâ primariâ ſeu Endelechiâ, ut Ariſtoteles vocat, omnes motus & Phyſici & vocales procedant. Et quod omnium maximum, in auri compoſitione, reſurrectionis humanorum corporum, animæq; in ea remittendæ imago apparet manifeſtiſſimè. Mille enim teſtimoniis illorum, qui viderunt, adfuerunt, fecerunt, conſtat, formam quaſi animam auream, undecunque habitam ſeu elicitam, ſeu artificio naturæ productam, immiſſam in argentum vivùm vulgi, id in compoſitum aureum, auro naturali in omnibus correſpondens & æquale, provexiſſe, mutaſſe vel perfeciſſe. Quæ autem vera ſunt, ut nulli niſi cœco vel ignaro vel invido neganda, animæ humanæ à corpore ſeparatæ, inque id iterum noviſſimo judicii die immittendæ, præſentiſſimam figuram referunt. Quicunque verò hiſce toties viſis, auditis & factis contradicere audeant, quod illis ex libertate Philoſophica & opinionum varietate licet, iidem, niſi pudore & metu pœnæ coërcerentur, facilius, ut olim Saducæi & etiamnum Epicuræi, reſurrectioni noſtrorum corporum poſt hanc vitam futuræ ſeſe opponerent; quippe cujus Scriptura ſola, licet miraculis & exemplis probata, extet, nulla autem noſtri ævi expe-

Aurum hominis partes exprimit.

Aurum imaginem reſurrectionis corporum prabet.

Digitized by Google

experientia: quod dictum nolim, quaſi ideò ſit incertior, quia antiquis innitatur teſtimoniis & fide Chriſtiana ſolummodò percipiatur, ſed quia increduli ad ſenſus, palpabile & præſens objectum teſtium vivorum, multò magis ad intellectum, non palpabile & futurum, teſtium defunctorum, præſupponantur. Hujus temporalis vitæ tranſituræ rationem qui petit, ratione deſtituitur, dum in omnibus individuis ut initium ſit terminũ animadvertit, nec ullus hominum ab æterno fuerit, nec in æternum, prout nunc, vivet, ſed unus poſt alium advenit & diſcedit, tanquam perſonæ in comœdia. Æternæ verò & futuræ felicitatis veriſſima teſtimonia in ſacris literis proſtant; unde tanquam ex fontibus Iſraëlis, illa unicè petenda ſunt; Quæ hic dicuntur, ex Naturæ libro adducuntur, nec ideo contemnenda, quòd à nobis, quaſi primis, in medium proferantur, cum ſint ipſa Dei Opt. Max. magnalia, æquè ut animalia aut vegetabilia, in quibus reſurrectionis corporum quædam imago adumbratur, exempli gratia in ſomno, quo animal quodcunq; ſepultum jacet, privatum ſenſu & motu, donec evigilet; in hirundinibus, ranis, & ejuſmodi aliis, quæ hieme in aquis, veluti mortuæ deliteſcunt, vere novo vitam reſumunt, ne quid de muſcis aliiſve inſectis dicam, quæ ſuffocatæ in oleo vel aqua, cinere conſperſæ dicuntur reviviſcere. Si verò quis hæc ſymbola naturalia ineſſe, neget auro, illi Carneadis remedium, naſturtium, quo cerebrum à mucoſa ſuperfluitate expurget, & ut lolio abſtineat, tam vili tritico, indicimus & optamus. Fruſtra enim noctua increpat Solis radios & ſus amaricinum; cum hęc roſtrum ſuum oleto mancipatum, illa oculos tenebris, deteſtari & corrigere deberet. Siccine ais (Eraſti umbra) eſſentiam Ellebori non poſſe extrahi,

trahi, cum tamen appareat à noſtri ſeculi ſcriptoribus ſat emunctæ naris eam feliciſſimè extractam & novis quibuſdam Medicis propinatam eſſe, cum riſu omnium faceti ſſimo?

Cap. VIII.

Tertiò auri præcellentiam peti ab internis & reconditis in eo virtutibus medicinalibus, quibus Cordi humano confortando inprimis appropriatur.

THEORETICAS auri proprietates, ſeu quæ in ſolam contemplationem humanæ mentis veniunt, jam produximus, reſtant Practicæ, hoc eſt, quæ in uſum actionemque cadunt, percurrendæ, ideò internæ & reconditæ dictæ, quia non à quovis, oculo aut intellectu capiantur abſque præcedente adminiſtratione & uſu: Ut enim gladius in ſua vagina abſconditus manens nullam aut exiguam ſui utilitatem oſtendit, ſic & aurum ſolidum & compactum exiſtens, virtutes, quas intus tegit, nulli obvias reddit, niſi moveatur arte & manibus humanis. Quis Uniones admiratus fuiſſet unquam, niſi ex ſuis conchis extractos vidiſſet? Illi itaque, qui de auri virtutibus in medicina quid aſſerunt aut negant, utpote non expertis, uti cœci de coloribus judicant. Sunt, qui auro omnem vim medicinalem detrahunt, quia vident alios, quos erraſſe neſciunt, ita feciſſe: Sunt, qui eidem incredibilia aſſcribant ex aliorum quoq; traditione. At neutris nos aſſentiri poſſumus, cum in extremis verſentur lineis, à quibus facilè eſt præcipitari in errores abſurdiſſimos. Medium tenuiſſe, ut tutius, ſic veritati propin-

Aurum materia medicamenti optimi.

quius eſt. Dicimus ergo Aurum non quidem eſſe omnium defectuum & ſuperfluorum in corpore humano remedium, ſed tamen eſſe materiam, in qua optimum Medicamentum, tanquam nucleus in ſua teſta, concluſum delitescat; quod uni, eique præcipuo corporis noſtri viſceri CORDI conveniat vel ex proprietate occulta, ut quidam ex Medicis loquuntur, vel aperta temperie, quæ in eo ſumma & æquata reperitur. Quod ſi hæc alicui adeo abſurda videatur, ut frontem caperet, Rhinocerotem fingat, inſtar Ciconiæ crepet, tanquam de eſſentia Hellebori extracta quid guſtaſſet, nos AURUM illi hoc potabile pro Bezoardico offeremus, hoc eſt, ſolidis rationibus probabimus, eſſe in auro naturali virtutes medicinales excellentiſſimas reconditas, imò longè majores, quàm in ullo vegetabilium, idque ad unius creatoris laudem & proximi utilitatem. Si quis multorum abuſus circa aurum in medicina & aliis reſpiciat, eosque deteſtetur, ut merito, atque ideò verum uſum una improbare velit, muſcam judicio non ſuperat nec hirundinem aut murem docilitate. Illos proſcribimus, hos laudamus; illos indignos non ſolùm Medicis, ſed quoque honeſtis aliis quibuſcunque, hos digniſſimos pronunciamus, quod in initio præmonitum docuit.

Dioſcorides cur prateriit aurum.

Dioſcorides equidem, qui ſingula vegetabilia & ex terris effoſſa, nec non alia, ad humanam medicinam uſurpata, diligentiſſimè, ut fateor, tractat & evolvit, nullam mentionẽ auri, ejúsve virtutum medicinalium fecit; quod ſi quos movit inter cætera, quaſi auro nil virium ejuſmodi inſit, illi falluntur ſua imaginatione. Multa enim Dioſcorides aut volens præteriit, aut ignorans non percepit, aut nunquam vidit vel audivit. Aurum quidem optimè noverat, quoad uſum externum, quoad inter-

internum,non item.Etſi integrum ſciverit propinatum in ægritudinibus,non tamen iſtæ vires in eo inventæ aut animadverſæ, quæ admirandæ forent, cum præſertim experimentum repeti non poſſet ſæpius in tanta auri caritate. Reſpondemus itaque Dioſcoridem excuſatum eſſe, cur nihil de auri corpulenti, adeò cari, remediis tradiderit, cum ut vaniſſimus & damni cujuſdam author coargui poſſet, ſi effectus non reſponderent ſemper experimento. Deinde, quia clauſum auri compoſitum invenit, cujus proprium ſit potius pati, quàm agere, omnibus qualitatibus æquatis in ſubſtantiis tum firmiter connexis & miſtis. At Dioſcoridi Galenum, Avicennam & multos alios claſſicos Medicos opponemus, qui niſi auro efficaciam medicinalem ineſſe judicaſſent, vel ratione vel experientia edocti, non illud in tot compoſitione immiſiſſent etiam in ſua corpulentia & clauſura, niſi hoc modo hominibus divitibus imponere, aut pauperes pecuniis emungere fortè vellent, quod neutiquam eſt credibile de tantæ authoritatis viris, quos noſtri ſeculi Medici volentes ſequuntur, debere ſtatui & præſupponi. Aurum enim ingreditur antidotos, Lætitiam Galeni dictam, Diamoſcum, Diambram, Auream Alexandrinam, Alchermes, è roſis, è lapide radiante, & alia medicamenta nunc in officinis uſitatiſſima. Quid ad hæc illi, qui auro nullam vim, Elleboro æqualem aut conferendam aſſcribunt? An tacent, aut Præceptores ſuos Ellebori eſſentiâ extractâ pro didactro excipiunt? Eraſtus, Germaniæ noſtræ Medicus doctiſſimus, ut fatear, improbavit ex metallis remedia, præſertim ex auro. At idem tamen lapides non rejecit è medicamentorum claſſe, cum de ſabuloſo (non Philoſophico, cui contrarius) integrum tractatum ediderit & reipſa appro-

Galeno & Avicennæ auri uſum medicina probatum.

Digitized by Google

bârit lapidum virtutes, dummodò vel illi vel hæ ſint ſatis cognitæ: Si itaque alium lapidem, vel etiam vires auri in medicina agnoviſſet, abſque dubio illis neutiquam contradixiſſet. Quod verò non cognitis contradixerit, an ideò, quod docti viri eſt, fecerit, judicent alii. Multa ſunt & eſſe poſſunt, quæ nec Eraſtus, nec tu, nec ego, eſſe fortè credimus, at noſtra incredulitate non expugnatur, ut eſſe deſinant. Sed audiamus Eraſti ſequacium rationes: *Metallorum*, inquiunt, *præſertim auri & argenti*

Miſochymicorum objectiones.

" *tinctura à natura noſtra maximè alienæ ſunt, quia venenatam* " *qualitatem, naturæ noſtræ inimicam continent; mordent enim* " *& arrodunt. Illa autem, quæ corpus noſtrum nutriunt, calidum* " *nativum fovent, humidum radicale conſervant, naturæ noſtræ* " *ſimilima totâ ſubſtantiâ, potentiâ ſaltem eſſe debent, ut in ſub-* " *ſtantiam noſtri corporis tranſmutari commodè poſſint. Similia* " *enim ſimilibus aluntur & conſervantur*: Calida enim calidum " *in conſervatione, in curatione autem contrarium poſtulat. Nam* " *ex quibus conſtamus, ex iis quoque propter ſimilitudinem, quæ* " *debet eſſe materiæ, ſuſtentamur. Debent igitur eſſe calida & hu-* " *mida proportionata, quod in his conſiſtat vita: non enim quod-* " *vis cuivis, ſed determinatè eſt amicum, aliàs ex quolibet fieret* " *quodlibet, quod omni Philoſophiæ rationali contrariū. Quis ne-* " *ſcit, aliis partes nervoſas, aliis carnoſas, aliis cutaneas ali & con-* " *ſervari? Metalla verò, quia à natura noſtra diſſita ſunt, tū quod* " *elementis proxima & pauciſſimis, ut optimè probat Eraſtus,* " *conſtata miſtionibus; Corpus autem noſtrum ex maximè miſtis;* " *tum quod ſicca duraq; ſint, adeò ut corpori noſtro neque nutri-* " *tione, neque conſervatione, neque reſtauratione congrua eſſe* " *poſſint. Imò cum nec humectari, emolliriq; ulla ratione aut arte,* " *aut medio naturæ noſtræ non inimico poſſint, quomodo, quæſo,* " *naturæ congrua & non inimica erunt? Quâ ratione, inquam,* " *facilè & celeriter in optimum naturæ ſuccum aut ſanguinem*

puriſſi-

Digitized by Google

puriſſimum,ex quo ſpiritus omnes facultates quoque & viſcera "
præcipua,præter nutritionem,robur acquirent,quomodo muta- "
buntur,&c. His,ut veritati militantes,reſpõſum æquiſſi- "
mum opponamus, proteſtamur nos, nebulones peſſimos,qui quid pro quo, vitriolum, antimonium & ejuſmodi non vera nec proficua medicamenta pro vero Auro potabili proclamant, vendunt, aliiſque obtrudunt, vel ſcriptis ebuccinantur,deteſtari,omnium proborum commercio & honore indignos pronunciare & aſſerere, tum quia falſa dicunt, ſcribunt & faciunt ipſi, tum quia alios emungunt bonis, raptorum inſtar, & multorum damnorum & errorum cauſæ ſint. Verùm ſi antedictus author (cujus innominati verba recitavi) bonum cum malo, legitimum cum illegitimo,uſum cum abuſu, confundat,jam non audiendus, imò refutandus eſt, ne Eraſti errores erràſſe,veritatemque oppugnâſſe fruſtrà ſuis chartis videatur. Propoſitio noſtra eſt in hoc capite, ut patet, de auri viribus medicinalibus occultis, quæ quomodo auro aſſcribi poſſint, ſi quæratur? Ego viciſſim quæro; Quidni auro? Cur non auro magis, quàm ulli ex vegetabilibus? De cibis hîc non loquimur aut potulentis, quomodo aurum devorari aut potari debeat,ut in ſuccum & ſanguinem transferatur, quemadmodum cibi,olera,carnes, vinum, & ejuſmodi. Hoc enim eſſet ſtulti imaginari: Medicinales virtutes auri, non alimentales, & aurum medicinam fieri poſſe, non alimentum corpori humano, demonſtramus. Omnia itaque ante relata contraria nobis ſcopum propoſitum non attingunt,imò longiſſimè inde aberrant. Nemo,ut opinor,negabit ineſſe vino optimo Rhenano vires medicinales,etiamſi pro alimento liquido uſurpetur,ſeparatis nempe aquoſis partibus à puro ſpiritu,qui non am-

Miſochymicus refutandus.

plius eſt alimentoſus, ſed potius medicamentoſus, ſiccæ & calidæ facultatis, quamvis actu ſit humidus inſtar aquæ puræ, atque inde frigidus (quæ qualitas propria eſt aquæ) exiſtimari poſſit. Hic ſpiritus, in vino uviſque latens, eſt potiſſima ejus forma & efficacia, quâ ſeparatâ, aqueum quid remanet, materiæ vicem obtinens. At unde hæc forma introducitur in uvas, quæ ab initio gemmatæ apparentes ne minimum de illo ſpiritu, quoad ſenſum habuerunt? Deinde verò cum racemi grandiores facti, ſed adhuc immaturi ſunt auſterique, propinquam potentiam hunc ſpiritum mox aucupandi acquirunt. Unde igitur hunc inſpiratum calorem obtinent? An ex nihilo aut caſu? Neutiquam. Ex Sole ejúſque radiis, qui ſucceſſu temporis emittuntur in uvas crudas, eaſque maturant calefaciendo & virtutem formalem immittendo. Ad eundem modum in argento vivo, vel in minera, ex qua fit aurum per naturam, ab initio non fuit vis auri calida, ſicca, humida, frigida & humida abſque æquatione. Poſtea verò cum calor Solis vel ſubterraneus, ejus vicarius ex reflexione, per mille fortè annos inciperet agere in hanc mineram vel argentum vivum, produxit formam auri æquatam; quæ quomodo medicinalis non ſit, haud video. Ratio enim & experientia, duo illa optima Medicinæ aliarumque artium criteria, unanimi conſenſu hoc evincunt, & authoritates innumerorū teſtium atteſtantur. Cum humana curioſitas partim, partim neceſſitas in medicinam adhibuerit & utiliter miniſtrari probaverit omnia undecunque petita ſimplicia naturalia, non ſolùm vegetabilia, ſed & animalium partes, rejecta, ſtercora, imò venenoſa, ſerpentes, viperas, aconitum pardalianches & hujuſmodi infinita alia, etiam ab ipſo homine deſumpta, ut

Aurum unde habet virtutem medicinalem.

Omnia cum fiant medicamenta, quidni aurum.

aureum

aureum Galeni emplaſtrum (non ex auro, ſed ſtercore humano factum, aureum dictum, quia centenis aureis recompenſatum Galeno dicatur) cranium, mumiam, ſanguinem, (& quid non?) ipſam cicutam, opium, hyoſcyamum & ſexcenta alia, quæ etiam theriacis, Mithridatio & magnis compoſitionibus induntur cum totius mundi applauſu, quare ſolum aurum à Deo aut natura neglectum foret aut minus dotatum, ut poſſet aut deberet pro medicina uſurpari? Si reſpondent, ipſum non poſſe digeri à calore humano. Hîc victus jaceo: at facilè reſurgam, ipſoſque adverſarios poſternam ſuis propriis armis, niſi mihi demonſtraverint, quomodo omnia jam dicta à calore humano evincantur & digerantur. Imò contrarium illis prorſus obſtrepo, nempe, quòd ſi à calore humano quid digeratur, non eſſe medicamentum, ſed alimentum, Lactuca, lac, ova & ejuſmodi digeruntur facilè, hinc pro cibis, non medicamentis, niſi fortè aliquando medicamentoſis dantur. Idem de aliis oleribus, ut acetoſa, beta, braſſica, borragine, &c. nec non de vini & potus varii generibus ſtatui poteſt, ea nunc alimentorum, nunc medicamentorum vicem obtinere. At de juniperi baccis, elleboro, cicuta, napello & hujus farinæ aliis idem dici non poteſt, quod humano ventriculo pro cibis eſſe queant, quamvis turdus, ſturnus, boves, mures montani iiſdem nutriantur & pingueſcant, ut ab experientia conſtat: Humanæ naturæ non ſolùm opium, ſi doſin excedat, ſed etiam crocus, optimum aliàs cordiale medicamentum & condimentum ciborum, nec non manna, inter benedicta lenitiva celebrata, ſi hujus libra una aut plures, illorum drachmæ totidem aſſumantur, extremæ noxiæ fuiſſe leguntur. Unde videmus etiam optima, abuſu peſſima evadere poſſe, & peſſima.

Medicamentum & alimentum ut defendit.

Optima abuſu peſſima.

peſſima viciſſim bono uſu optima, ut in theriaca Andromachi patet, quæ optima eſt, ſi bene adminiſtretur, & quantitate decenti, aliàs peſſima & noxia; & e contra vipera, aliàs peſſima veneno, præparatione in theriacam promovetur. Nulla itaque eſt ratio, cur aurum dicatur, non poſſe digeri, quia nec debeat digeri; quod venenoſam qualitatem habeat adjunctam, manifeſtè falſum eſt, & ſi haberet, æquè tolli poſſet, ut in venenatis jam dictis: cum contrà, cordi confortando ſubveniat & contra venena ſuppetias ferat, non ut venenum propulſans aliud (uti arſenicum exterius cordi admotum pro amuleto contra peſtem præſtare dicunt) ſed Alexipharmacum unicum & proprium cordiale, à Deo datum à natura productum, & à Sole cœleſti inſpiratū. Aliqui inferūt aurū abſq; fumis arſenicalibus in terræ viſceribus nō produci, & in auri minera ſēper eſſe venenoſas qualitates adjūctas, atq; ideo nō eſſe expers venenoſitatis, quomodocunque præparetur aut uſurpetur. O Medici mediam pertundite venam, ubi hellebori vix centum plauſtra tantæ inſaniæ ſufficiant, ut uno ictu omnis ſcaturigo ejus erumpat. Quando aurum dicimus, aurum intelligimus, quando raſtrum, raſtrum, non allia pro cæpis, aut pepones pro cucumeribus accipientes. At iſtis Criticis pro virgula cenſoria raſtrum, pro cerebro cæpa, pro corde pepo occurrit. Quando de homine ſermo eſt, non de ſecundinis, urina, ſtercore & ſanguine menſtruo, inter quæ crevit in utero materno, accipiendus eſt. Ab illis enim ab obſtetrice & matre, dum infans eſſet recens editus, ſatis purgatus fuit, ſic aurum, ſi creviſſet inter tales fumos ſub terræ viſceribus, ut ſæpè contingit, an non ab illis, antequam Aurum merum & purum dici poſſit, per tot examina ignium & aquarum quaſi februatum & luſtratum

Aurum veneni expers, ejus antidotum eſt.

Objectio alia.

Reſponſio.

luſtratum, exquiſitiſſimè liberatum eſt? De metallis imperfectis quibuſdam hæc fortè dici queant, at neutiquam de perfectis, quæ ſunt ideo perfecta dicta, quia ab his fumis & ſubſtantiis corrodentibus per naturam ſint expurgata, per artem quoque ſegregata, quæ ideo incorruptibilia habentur, quia nihil fæcum corrumpentium talium in ſe habeant. Idem itaque dicunt illi bis pueri, cum aurum perfectiſſimum metallum hac labe imperfectionis polluunt, tanquam demonſtrandum ſibi ſumerent triangulum abſque tribus angulis, aut circulum perfectum non rotundum. Eant igitur nugatores ad Utopienſes malè feriatos, ibique ſuam caninam exerceant facundiam, quamdiu velint. De experientia & authoritate alibi ſatis dictum eſt, tum à nobis, tum ab aliis. Quocirca ad rationes deſcendemus magis conſpicuas.

CAP. IX.

Qua ratione Aurum adeò ventriculo indigeſtibile, Cordi, ſpirituum vitalium officinæ ſuccurrat, tactu & actu frigidum, eidem calorem ſuppeditet, & virtutem medicinalem inſtillet, contra adverſantium opiniones.

QUAMPLURIMI ex vulgo hanc noſtram de auro diſquiſitionem videntes, eam prorſus inutilem arbitrabuntur, tanquam nemo hæc ignorârit, antequam Theognis naſceretur, putantes, ſi modò auri copiam

habeant,ſe optimè ejus vires in emendo,pomposè ſe oſtentando aut luxuriando, reipſa demonſtraturos: Quibus,neſcio an plus ſit ingenii vel prudentiæ,quàm mulis,qui herbas & avenam optimè noverunt ad ſuos uſus communes transferre depaſcendo,at quæ utilitas illarum in medicina vel hominum operibus aliis exiſtat,planè ignorant. Bos æquè caſtellum aliquod videt, ut veteranus miles,at ille oculis colorem externum ſolummodo,hic intellectu diſcernens,cujus ſit figuræ & munitionis. Ille actu reflexu deſtituitur,hic utitur. Ille in præſenti ſaltem ejus imaginem ſentit, hic quoque longo tempore poſt: Imò tanta differentia inter viſum utriuſque quanta inter ſomnium dormientis & actiones vigilantis. Bobus & mulis itaque ad ſua paſcua demiſſis,nos auri virtutes interiores alacriori animo rimabimur,non minus lætabundi jucundâ illâ & libero homine digniſſima ſpeculatione, quàm ſervi illi avaritiæ vel luxuriæ,qui ideo aurum in oculis & mente geſtant, quia quantum ejus habeant,tantum apud alios authoritatis,juris,gratiæ,favoris,obſequii,eruditionis & exiſtimationis conſequantur,licet revera ſint ſtolidi, elingues, hoc eſt, (ut Stratonicus de quodam) *nulli,mali, magni,piſces:* Verùm audio eoſdem inſtare adverſarios, qui verentur,ne cœlum ruat,aut Elephantos cum potu abſorbeant,ſe non habere ſtrutiocameli ventriculos, quaſi aurum poſſint digerere,ut ille ferrum. Fateor,tales plerumque eſſe delicatulos, qui nec manum nec mentem multum fatigârint laboribus,ſtudiis & curis, ideoque teneræ concoctionis haberi, quibus cavendum inprimis, ne aurum crudum vel indigeſtibile devorent,& ſic in obſtructiones ab auro factas,morbum priori deteriorem,incidant. His ut ſatisfaciamus & omnibus

Inſtantia adverſariorum.

mnibus aliis, ſententiam noſtram clarius proferre hac de re conſtituimus.

Phyſicorum ex Ariſtotele dicterium eſt, quod ſol & homo generent hominem, hoc eſt, quod ſol infundat ſemini humano vim illam generativam & vivificam, nec non calidum nativum, unde generetur homo; quod abſque dubio verum eſſet, ſi anima per ſemen generantis in genitum traducatur, ſi verò cœlitus immittatur, ut veriſſimum eſt, minimè. Quomodocunque ſit, quod Sol, cœli quaſi cor, cum corde humano maximam ſympathiam habeat, non abſque ratione credibile eſt. Ut enim ille calorem & lucem ſtellis cœli, ſic hoc membris & viſceribus corporis humani calorē & ſpiritus vitales ſuppeditat. Adhæc, Solē cœli, quaſi imaginē & idolū ſui in terra produxiſſe, Aurum, negari non poteſt. Non movemur nudis vocabulis, quod Chymici aurū ſolem vocent, ſed ipſius rei proprietatibus, quæ ſunt; Quod Aurum metallorum puriſſimum, & clariſſimum, nec non magis maturum exiſtat (ut cap. 5. & 6. dictum) quodque in illis locis potiſſimum inveniatur, ubi major vis & calor ſolis regnet, ut in India, Arabia, ubi obrizum & purum naturale inventum eſt, & adhuc invenitur. In aliis locis, quò magis ad ſeptentrionem recedant, eò aurum in ortu ſuo primo plus imperfectorum metallorum adjunctum habet, quæ ſi per aquas ſeparatorias & cineritium, aliaque examina inde ſeparentur, maſſa probata plus quidem amittit imperfectæ ſubſtantiæ, at non minus perfectum aurum eſt, quàm Indicum & Arabicū: Ut patet de Hiſpanico, Ungarico, Germanico, alióve, quod illi æquatur per ſufficiens purgamentum & examen. Aurum itaque naturale Solis eſt filius, & verus ille Æëta, qui vellus aureum Jaſoni ſeu Medico

Refutatio eorundem.

Cur aurum cordi humano conveniat.

Aurum Solis filius

Digitized by Google

(qui eſt Jaſon) expoſuit in luco Martis. Quod ſi ita eſt, filius de patris natura plurimum obtinet, & ſic calorem innatum ſolarem in ſuis viſceribus abſcondit. Ore vultuque patrem referens ſoboles, plerumque ejuſdem mores, hoc eſt, vitia vel virtutes imitatur. At Aurum colorem rubeum ſolis oſtendit, nec non puritatem & lucem; ut argentum lunæ albedinem & nitorem. Quod ſi ea herbarum genera Heliotropia ſeu Soliſequia rectè vocemus, quæ nocte floſculos ſuos languidulos claudunt, de die ad ſolis orientis calorem & motum aperiunt & circumvertunt, ut in flore ſolis & intybis ſeu cichoreis quotidie videmus, quidni aurum veriſſimum Heliotropium exiſtimemus, quod ad orienrem & meridionalem ſolem ſaltem obvertitur ſeu generatur, calore gaudet, nec igne corrumpitur. Ut enim lateres & vitra in igne ardentiſſimo cocta & facta, poſt omnem violentiam ignis facilè perferunt, ſic aurum à ſolis æſtu ſatis maturatum non pertimeſcit alienum quemcunque calorem. Ergo ſi aurum plurimum virtutis de ſole impetravit, non mirum eſt, ſi cordi unicè approprietur. Quod ſi dicamus, hominis appetitum potius aurum deſiderare cœco quodam raptu, quàm alia mundi bona, ꝙ Cor ejus, tanquam magnes ferrum, illud appetat, propter medicinalem virtutem, non paradoxon abſurdum id videri debeat illi, qui rei circumſtantias penitius conſideret. Albertus Magnus dentibus & craneis humanis aurificam vim aſſcribit, quia ſuis temporibus in ſuturis & dentium cavitatibus mortuorum, aurum ſæpe inventum refert. At de his fides ſit penes lectorem. De ardearum tibiis verè narratur, quod in aquis retentæ alliciant piſces, quos illæ abſque labore captant & devorant. Sic Panthæra belua ſuavitate ſuæ pellis feras ad ſe

Aurum heliotropium.

Alia cauſa cur cor reficiatur auro occultior.

Amphitane gemma aurum trahere traditur, ut magnes ferrum. Plin. lib. 37. c. 10.

Res mira at vera.

attrahit

attrahit,quas venatur in prædam. Quid jam de ſæpia, hyæna,chamæleonte & paſtinaca marina,quæ ſimili aſtutia utuntur,dicemus? An Creator omnipotens cordi humano illā potentiam infudit,ut aurū appetat,ejusq; virtutem medicinalem ad ſe trahat in languoribus, ut pinguedo vel medulla ardeæ piſciculos? De gallinæ oſſibus tradunt,quod cineritio admiſta aurum ex naturæ proprietate abſorbeant,& in ſe ſugant,an fortè ejuſmodi quid cor humanum efficit? Nihil hic affirmavero,ne nimis abſurdus videar, ſuam cuilibet cenſuram relinquens. Sed ad rem. Aurum actu frigidum tangimus, ponderoſum,durum & terreum animadvertimus;qua ratione,cum aqua & terra abundet,atque ita frigidis & ſiccis qualitatibus excellat,alienum à veritate videtur, illud cordi, viſceri calidiſſimo, quod calido & humido ſanguine puriſſimo nutritur,confortatur,& vires ſuſcipit, nec non ſpiritus tenuiſſimos generat, vitæ inſtrumenta & motus,ſimilitudine totius ſubſtantiæ vel proprietate occulta vel manifeſta convenire; cum frigida & ſicca morti,calida & humida vitæ propinquiora ſint, & magis amica. Ad quæ ex ante dictis reſpondemus,aurum habere multum materiæ ſeu elementorum graviorum,ſi ad pondus reſpiciamus,& parum levium,at ſi ad qualitatem & formam,tum tantum eſt caliditatis, quantum frigiditatis,& tantum humiditatis,quantum ſiccitatis in eo. Hinc cum materia ſit palpabilis,nō autē forma, ideo aurū actu magis frigidū ſentitur, quàm calidū, graviſſimum potius, quàm leve: quemadmodum ſimiliter ſpiritus vini actu frigidus eſt & humidus,licet potentiâ calidus & ſiccus; imò ipſa aqua fortis & regia, piper, zinziber, euphorbium, pulvis pyrius, & ſimilia potentiâ proximâ calidiſſima,actu frigida reperiuntur.

Aurum actu frigidum.

Objectio.

Reſponſio.

Nihil itaque infert, quod de frigiditate auri objicitur externâ, cum interius ſit æquatum,& ſi tractetur,ut debet, fiat calidum & humidum, cordique amiciſſimum. Hinc concludimus, quod aurum manens in ſua corpulentia clauſum, æquatum in qualitatibus, magis paſſivum, quàm activum, nihilominus radium quendam virtutis ad cor tranſmittat, licet valdè tenuem; Unde Medici noſtræ ætatis vel extinctione auri in certis liquoribus,vel pulveriſatione ejuſdem in confectionibus hanc vim aucupari conantur;qua ſpe non omnino falluntur. At ſi aurum reddatur abſque corroſivis ullis,ſive aquis ſive pulveribus magis activum & ſpirituale,aliter ſe res habet. Tum enim longè prædominantur ſubſtantiæ & qualitates ſimul calidæ & humidæ, quæ eſt propriè forma auri abſtracta non omnimodè, ſed hærens in ſubjecto, tanquam fomite; Ut ſpiritus vini ſubſtantia calida & ſicca in humido hoſpitatur,unde & miſcibilis eſt cum omni humido,non pingui: Nam forma illa per ſe eſt calida & ſicca,cum verò cum ſubjecto ſuo humido & frigido,ceu fomite complexa manet,fit humida ratione ſubjecti, & eſt calida, ratione formæ, ita ut priſtina formæ ſiccitas per materiæ humiditatem ſuperetur,& materiæ frigiditas per formæ caliditatem ſupprimatur.

Aurum paſſivum & activum magis quando.

CAP. X.

CAP. X.

De Auro æquato, quomodo agat in non æquata viſcera corporis humani & intemperiem illorum emendet.

UT autem melius modum actionis æquati auri in corpus humanum deſcribamus, ex hypotheſi demus, eſſe in auro æquatarum qualitatum quatuor ſingulas ſedecim particularum, quæ faciunt ſimul 64. Caliditas enim cum ſit 16. ita & humiditas, frigiditas & ſiccitas, & tale compoſitum adminiſtretur corpori humano, non ita æquato, apparet, quod vel nulla actio à tali compoſito procedat, aut valdè exigua & inſenſibilis, cum omnis qualitas, quæ agere debeat, à ſuis contrariis ſibi æqualibus in virtute, ab actione impediatur & refrænetur, unde idem contingit, tanquam nulla actio interveniret. Quod melius conſpicitur in quatuor bilancibus in æquilibrio ſtateræ ſeſe invicem ſecantibus, in quarum unam ad orientem poſitam ſi ſedecim uncias ponderis projicias, mox alteri ad occidentem poſitæ prægravabitur: at ſi illi ad occidentem totidem uncias inferas, æquilibrium fiet; idem de reliquis ad meridiem & ſeptentrionem verſus dicendum ita, ut ſi in ſingulas ſedenæ unciæ ponantur, omnium quatuor contingat æquatio, idemque ſit, tanquam nihil in omnibus contineretur. Tale, inquam, cum ſit aurum in ſingulis quatuor qualitatibus æquatum, hinc probabile eſt, quod nihil aut parum agat ſuis qualitatibus manifeſtis in corpora, quibus adminiſtratur. Sunt, qui reſpondent

Exemplum evidens æquationis qualitatum auri.

dent, quod aurum ſit temperatiſſimum, & quaſi medium æquè remotum ab omnibus ſuis extremitatibus, ideoque agat ex æquo in omnes ſuas extremitates, quod quàm verum ſit hinc patet, quod antiſtrephon & cornutum argumentum ſeu dycephalon (inſtar Amphiſibenæ) utrinque feriens aut pungens videatur, quia dicere verè quoque liceat, quod medium ſeu æquatum in nullas extremitatum agat, cum extrema ſaltem in ſibi extrema operentur. Ut igitur aurum æquatum fiat medicinale & optimè agat in corpus humanum, levi artificio ex bilance frigiditatis accipe octo uncias, & pone in bilancem caliditatis, & hic ex bilance ſiccitatis accipe totidem & pone in humiditatis, quo fiant in eodem compoſito partes 24. caliditatis & totidem humiditatis, frigiditatis verò 8. & 8. ſiccitatis; & erit actio in auro optatiſſima, nempe in calido & humido haud delebili; quod ſaltem in modum exempli dictum ſit, potius ut genus actionis intelligatur, quàm præciſè monſtretur, quod nec neceſſarium, nec poſſibile eſt, cum ſit ex arcanis naturæ occultiſſimis. At quæſtio eſt, an humidum radicale & calidum nativum in corde humano diminutum & ſemiextinctum, ab hoc calido & humido, quod eſt in auro planè diverſum ab illo, poſſit reſtitui, augeri vel refocillari ſecundum totum vel partes? Reſpondeo, calidum illud ingenitum & humidum oleoſum à ſeminali principio orta, ſi perierint omnino, morte ſuperveniente, nulla arte reſtitui poſſunt; Si verò ex parte conſumpta ſint, neque tum, quod periit, reſarciri poteſt; at quod ſupereſt, ne ita citò evaneſcat, detineri & præoccupari, niſi fallor, optimis medicamentis, ut & cibis boni ſucci & facilis digeſtionis, poſſibile eſt. Nam ſi hectica & maraſmus contingit calido præternaturali in

Aurum æquatum, ut medicinale fiat:

Quæſtio notabilis.

Reſponſio.

in ſolidis partibus & ipſo corde nimis aucto & incendente calidum nativum, ut brevi temporis ſpacio abſumat ferè omne humidum radicitus implantatum (prout videmus in lampade nimis inflammata oleum mox conſumente) quod aliàs per multos annos conſervari potuiſſet, ea medicamenta, quæ vel id incendium caloris extinguunt, vel humidum oleoſum ab eo defendunt, ne adeo devoretur, videntur calidum & humidum naturale temperare & conſervare, ne rabie quadam in ſe invicem ruant aut ſæviant: Tale quid poſſe fieri à calido & humido auri inter ſe proportionatis ita, ut alterum in alterum agere tentet, at nihil in eo deſtruat, ſi hoc cordi in debita forma & modo propinetur aut offeratur, rationi & experientiæ conſentaneum eſt. Nec verò cibi & potus etiam optimè digeſti individuum calidi & humidi abſumpti reſtaurare poterunt (aliàs poſſibile foret bene & temperatè viventes nunquam mori ex ſenio vel morbo, cum tantum reſtitueretur, quantum abſumeretur quotidie) at quod remanens eſt, nutrimento quodam analogo & ſimilimo diu illæſum tueri. Quemadmodum enim camphora in ſe- *Exemplum.* mine lini, ne facilè evaporet, & rhabarbarum in cera, ne exuccum mox fiat, bene conſervatur, ſic calidum & humidum naturale in cibis & ſuccis euchymis primæ, ſecũdæ & tertiæ concoctionis. Quæ, ſi vera ſunt, aurea illa *Aurea medicina quid præſtet cordi.* humiditas caliditati juncta, cordi inſtar ſeminis lini aut ceræ, quæ calida & humida ſunt, habebitur. Ex quibus patet, quantum arti liceat retardare ſenectutem & canos, aut reducere juventutem, prohibere morbos imminentes, curare præſentes & ejuſmodi alia Medicinæ veræ opera præſtare. Ad impoſſibilia naturæ nullus cordatus medicus ſe alligat, ſed Empyrici & Sophiſtę arrogan-

tes, ſtolidi & indocti. Medicus enim ſolùm miniſter naturæ eſt, non dominus, cui paret, non imperat, ſervitio, non mandato, medicamentorum, quaſi inſtrumentorum; quæ aliquando Deorum manus, ſi bene, aliquando nihil, ſi ſecus uſurpentur, ab Herophilo rectè dicta ſunt. At ſi dubitetur, cur calidum & humidum in qualitate firmiori, cordis reſtaurativum ſit, id patet ex eo, quia ut ante quoq; dictum, vita in his hoſpitetur, & ſanguis vitæ theſaurus calidus & humidus ſit per ſe, non alterius qualitatis. Unde cum putrefactio omnis fiat, ſi calidum præternaturale augeatur in humido vel propter obſtructiones viarum, quæ prohibent perſpirationem (veluti uſu obſervatum eſt fænum madefactum in anguſtis locis, ne eventilari poſſit, concluſum, calorẽ adeò concipere, ut in flammas erumpat & tecta cõburat) vel propter chymi ad putrefactionem proni (quapropter & poſt copioſam ingeſtionem facilè putreſcibilium, ut ceraſorum, prunorum, perſicorum & ſimilium horariorum fructuum febres putridæ ſemper ſuccedunt) degenerationem ad venenoſam qualitatem calidam & humidam, ut in peſte vel febribus malignis contingit, hinc quod calidum & humidum non facile putreſcibile reddit, vel à putredine defendit, oportet eſſe firmiorum qualitatum, eſſentiæ tenuioris & naturæ humanæ amiciſſimæ; quale aurum eſſe, ex ante relatis nemo dubitat.

Cur humidum & calidum auri cordi amicum.

Quin, reſpondeat aliquis, multa ſunt calida & humida, ſimplicia, & ſi non ſint, componi poſſunt, cum hæc ſit præcipua cauſa compoſitionis medicamentorum. Fatemur, eſſe quædam ſimplicia calida & humida, ut ſunt fortè manna, cera, ſemen lini, melilotus, vinum oligophorum, & alia ejuſmodi, ſed eorum qualitates adeò in ſuperficie ſubſtantiæ hærent, ut in ventriculo & primis

Objectio. *Reſponſio.*

venis mox evaneſcant, nec ad epar, nedum ad cor, aut venarum intima penetrent, inque iis non alteratæ permaneant. Perquiratur totus mundus, nec ullum tale ſimplex invenire licet, cum humida & calida omnia ſecundum qualitatis gradum vix excedant, à quo facilimè quoque dejiciuntur mutatione ſuperveniente ſeu coctione ventriculi, epatis, membrorum ſeu viſcerum & venarum. Ad compoſita igitur progrediendum & ex calidis & humidis in excellentibus gradibus, intercedente, ut volunt fermentatione, fiat compoſitum calidum & humidum: ſed ubi illud inveniendum extra venenoſa? Non video, nec tale quid unquam occurrit. Ut taceam, ſi humidæ & calidæ qualitates ſummæ & primæ ſint componendæ, quot ſecundæ, tertiæ & quartæ concurrent, fortè cordi magis inimicæ, quàm primæ gratæ. In ſumma, omnes vegetabilium qualitates dum in igne elementali comburantur, facile quoque à calore nativo deſtruuntur, non quod nativus tam fortis ſit, quàm igneus, ſed quia non minus mutet vegetabilia, quàm ille, quæ non in cineres quidem comburit ultimos, ſed in maſſam humidam à priori ſubſtantia longè diverſam. Exemplum familiare hujus mutationis ſit hujuſmodi: In renibus ſi ſit ulcus putridũ, quod patet ex ſignis diagnoſticis ſuis, primò utendum abſtergentibus, deinde exiccantibus & conſolidantibus, tertiò cicatricem inducentibus. Inter abſtergentia ſit lac caprillum, aqua hordei melle dulcorata, & hujus ordinis innumera alia. Quæ, ſi propinentur, antequam ad renes per ventriculum, inteſtina, venas meſeraicas, epar, venam cavam, emulgentes tranſeant, ubi eſt vis illa abſtergens? An non ferè omni parte abſterſa? Idem dicendum de cæteris & medicamentis & partibus affectis. In his uſu conſtat, ſo-

Calidum & humidum ſimplex qualitatum indelebilium non niſi in auro.

Exemplum quomodo vegetabilium qualitates alterentur in corpore.

ſum terebinthinam ſuas qualitates magna ex parte infractas reſervare, ut & urinã dicatur violaceo quaſi odore imbuere. Quid jam dicendum de corde & ejus corroboratione? Illud, quod cor confortabit, per non minus longos meatus tranſire debet, antequam eò perveniat: Et cum jam pervenerit ad cor languidum, neceſſum eſt, quod ſit virium adhuc integrarum, validarum, infractarum: aliàs ab hoſte victoriam non obtinebit. Novimus, quòd illi, qui ex animi ferocia hoſtem in caſtris ſuis tutum & firmum laceſſere auſi ſint, ipſi ex itineribus longis & fame confecti, exitium ſibi præſentiſſimum quæſiverint: Non enim prævidendum, quo animo & robore ſunt, qui contra hoſtem exeunt, ſed quo futuri, cum eum adorturi. Unde patet in tota claſſe vegetabilium aut animalium non dari aliquod remedium vel ſimplex vel compoſitum, quod ſimul calidum & humidum in ſummis & innoxiis ſit gradibus, abſq; peregrini permixtione, quodque tale perduret in igne, in aqua, nec unquam deſtruatur, quodque ſit tenuiſſimarum partium & cordi familiariſſimum, quale eſt unicum & ſolum Aurum debitè præparatum.

Aurum præparatum debitè, remedium quale.

Dubium.

Alii ex his dubium ſibi quærent dicentes, putrefactioni humorum in febribus malignis & peſtiferis, ubi calida & humida qualitas ex putrefactione peccat, remedia contraria utiliter adhiberi, quæ ſint qualitatum frigidarum & ſiccarum, ut terram ſigillatam, bolum armenum, cornu cervi, gemmas precioſas, perlas, ſandala, multaque alia hujus generis, inter quæ & aurum ſit & lapis Bezoar. Quod ſi ita eſt, non calidis & humidis cordi confortando proſpicitur, ſed frigidis & ſiccis, nec aurum tale eſt, ſed hujuſmodi. At his

Solutio.

breviter refero: Aliud eſſe, ſi hoſtem ex civitate ejicere velimus, aliud ſi cives contra hoſtem inſtruere & armare:

re: Sic aliud eſſe, ſi cauſam morbi eradicare tentemus, aliud ſi cor corroborare contra vim morbi, ne ſuccumbat. Cum frigidis igitur & ſiccis pravam qualitatem calidam & humidam præternaturalem cordi impreſſam, tanquam contrariis, tollimus & ſupprimimus; Cum calidis & humidis, ex auri eſſentia petitis cordis naturalem temperiem conſervamus & reficimus. Ut enim contraria contrariis tolluntur, reſpiciendo affectum contra naturam, ita ſimilia ſimilibus conſervantur, ad ea, quæ ſecundum naturam ſunt, collimando. Corde itaque corroborato per ſui ſimilia & amica, quæritur an ea vis ad cætera membra, in quibus ſæpiſſimè tanquam partibus affectis morbifica cauſa & morbus ipſe deliteſcit, tranſmitti, iiſque communicari poſſit? Reſpondemus, hoc eſſe alterius intentionis: Nobis ſufficiat, aurum eſſe ex ſummè corroborantibus primum: Nihilominus, ſi quid ſentiam hac in parte dicendum, breviter me expediam: Galenus in quodam caſu recenſet, cuidam reſolutam manum ejusque articulos, cui affectui cum alii Medici manui & articulis fruſtrà diuque topica applicâſſent, ſeſe nuchæ ſeu ſpinæ cervicis medicamentis accommodatis adhibitis malum hoc curâſſe cum tanta omnium admiratione tam felicis ſucceſſus, quãto cum riſu prius, quod affectâ manu, cervici mederi conaretur: Quod, ſi ita eſt, ratione nervorum & muſculorum, qui oriuntur ex nucha & deducuntur in manum, an fortè abſurdum erit, ſi febre vel obſtructione viſcerum, vel inflammatione aut alio affectu interno urgente, cordi adjungatur remedium, cum ex corde calor naturalis & ſpiritus vitales omnibus partibus & viſceribus corpori humani ſuppeditentur, nec non omnes venæ per cavam ad cordis dextrum ventriculum ſanguinem ablegent pro mate-

Quæſtio alia. Reſponſio. 1. Ratio.

ria ſpirituum tenuiſſimorum, qui in ſiniſtro ejus ſinu fa-
2. 3. bricantur. Adhæc ſi cor eſt focus caloris, ſi centrum cor-
poris humani, non Geometricè, ſed Phyſicè intelligen-
4. do, ſi Rex & Princeps membrorum omnium, quo ſal-
5. vo cætera ſalva, læſo læſa ſunt, ſi primum vivens & ulti-
6. mum moriens in animali, ſi eſt ſedes affectuum graviſſi-
morum, iræ, lætitiæ & ſimilium, nulla cauſa eſt, cur cor-
de roborato & confirmato morbus noceat & non ab-
eat, cur ſymptoma urgeat & non evaneſcat, cur humo-
res obſtruant, repleant aut mordicêt meatus viſcerum,
& non per ſua emunctoria, ut ſuperflui educantur: qua-
Cor focus corporis. tenus enim focus eſt, calorem naturalem & ſpiritus ſup-
peditat, qui expurgant corpus à ſuperfluitatibus, ape-
riunt vias obſtructas & congeſtas fæces educunt: qua-
Cor centrum. tenus centrum corporis, æquè reſpicit ad omnia viſcera
ſuæ peripheriæ, ad quæ quaſi lineas ſemidiametrales, vi-
Cor Rex. tam & ſpiritus vivificos tranſmittit: quatenus Rex aut
Princeps, ſubditis proſpicit, ut ipſis bene ſit, hoc eſt,
membris: Ut enim, Leonida Rege Spartanorum au-
thore, exercitus cervorum Leone duce formidabilior
habetur, quam Leonum, cervo; ſic corde ſalvo & firmo,
viſcera illi addicta ægra facilius ſalvantur, quàm his ſanis
Cor primum vivens. Cor ægrum: Quatenus cor primum vivens, primogeni-
turæ jus habet & tutor eſt aliorum, imò inſpector & re-
ctor, cui quicquid bonorum aut donorum confertur, ad
conſervationem totius familiæ ſpectare videtur: quate-
Cor ſedes affectuum. nus eſt mare æſtuoſum turbinibus affectuum, inprimis
pacandum venit, non oleo, ſed remedio accommodato,
non ut aurum in fluctus projiciatur pro arrhabone,
ſed in medicamentum concinnetur
ſine peregrini additione.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XI.

Quod aurum detectum à ſuo cortice, nucleum medicinalem offerat, ſine quo tota compages ejus ferè inefficax habeatur.

JAM ſæpè diverſis in locis hujus tractatus innuimus, nos de auro vero, naturali, mero & puro, prout hoc expurgatiſſimum habetur, & non de alio quodam ſubjecto, hic loqui, quòd nimirùm tantam in medicina & omni vita utilitatē & virtutem obtineat, quicquid alii de, neſcio quo fictitio aut ſuppoſititio nugentur, vocabula & res inter ſe miſcentes, ſeque ipſos cum aliis confundentes. Verùm inficias ire nequimus, in auro compacto & ſolido, quomodocunque in folia, pulveres, limaturas, vel atomos redacto vim tantam, tamque præſentaneam vix inveniri ob cauſas ſat ante inculcatas. Æquatio enim qualitatum, quaſi corticem externum ſuper induxit auro ſeu potius clypeum Achillis, ſub quo, tanquam teſtudo ſub teſta duriſſima, ſua inferiora viſcera abſcondit, & ab injuriis prætereuntium ſeu iniquè tractantium tuetur. Sparta olim bellicoſiſſima cum abſque muris eſſet, & ea de cauſa Rex interrogaretur, hic reſpondit, ferreos ſibi muros videri munitiſſimos, hoc eſt, pectora civium concordia, ferro & virtute fortia, non lateritios ſeu aſcititios circumcinctûs. Idem de auro ſtatui poteſt, quod licet non habeat viſibile vallum aut definitum propugnaculùm, tamen totum, quantum, quantum, invictum eſt. Ita enim elementa in eo omnia concordiam inierunt, atque ſic in mutuas adſi-

adfinitates conſpirârunt, ut ex Romanis & Sabinis prius propter virginum raptus inimicis, non magis unita & confœderata civitas olim facta ſit, quàm ex igne & aqua, illo Perſico, hoc Ægyptio Numine, quorũ unum alterius pernicies, ex aëre & terra, unum compoſitum, individuum productum eſt, quod Aurum dicitur. Hoc eſt inexpugnabile, cum tamen omnia alia caſtra, quantumvis munita, Philippo Macedone teſte, expugnet. Ut enim criſtallinus oculi humor, ipſe expers eſt omnis coloris, quia omnes ſuſcipere debeat, ſic Aurum nulli ſuperabile eſt, quia omnia ſuperare queat tam virtute & precio, quàm vi & præmio. Quis adeo circumſpectus habet robora vel chalybem, ut multis in auro armatis reſiſtere valeat? Quem adeo virtus ſuſtulit, ut non ab auro dejectus ſit? Quem adeo vitium depreſſit, ut non ab auro evectus ſit? Nemo in lacte butyrum agnoviſſet, niſi uſus & ars detexiſſet: nullus linteamina, nec chartas nec in cauſtum oleoſum habuiſſet, niſi ex uno lini ſemine hæc omnia Palladia arte extudiſſet. Sic nec auri vires medicinales, quales prædicavimus, ullus in tam firmis & duris cõpagibus aut clauſtris latere ſciviſſet, niſi labore & ſumptu prævio indagâſſet. Hannibal ille Pœnorum Dux primus docuit emolliri cautes duriſſimas aceto fervido & frangi, ut viã præbeant exercitui. Xerxes Perſicus Rex montem Athum dejecit in mare & Oceano plagas, obedientiæ quaſi ferulas, intulit. Uterque, ut deſiderio ſuo appetituique ſatisfacerent, quo tamen fruſtrati. Ille enim Italiam, hic Græciam, ſubigere ut tentavit, ſic plurimi unum aurum inſidiis violentiaque aggreſſi, nil inde niſi damnum reportârunt. Nam quàm laborioſum illis fuit Regiones iſtas à natura munitas, populiſque fortiſſimis propugnatas ſupera-

Aurum inexpugnabile.

Aurum ſuperat omnia.

ſuperare, ita & quam plurimis, aliàs in literis verſatiſſimis circumſpectisque viris negotium faceſſit Aurum vincere & medicinale totum reddere. Quod cum ex mentis inſcitia, aut laborum & ſumptuum declinatione præſtare non valuerint, mirum eſt, quantas nænias contexant, & quàm ſubtilia reticula circumducant, ut muſcas captent volantes. At totos ſe exenterarent prius, quàm hac via vel ullam veritatis umbram ſtringerent Andabatæ. De fatuo, quod roſas, ut ceraſa, apes, ut culices, captare voluerit, narrant, eum dolore ferè exanimatum à propoſito deſtitiſſe & abjeciſſe jam parta, hac addita voce. *Meretriculæ iſtæ quidem pulchræ, ſed acubus armatæ ſunt, quas in ſinu gerunt:* Sic fortè ab ejuſmodi ſtultis, qui aurum & metallica tractant, ut aquam roſarum aut ſalem abſyntii, ſuo cum damno, tot convitia in Chymicam artem, Aurum potabile, laudanum per ſe laudandum medicamentum (ſi abuſum, ut in omnibus diis, excipias) jactant, eà omnia vel uno flatu, ſi diis placet, cum Pyrgopolynice Plautino diſſipaturi. At meâ ſententiâ præter caninam loquentiam κυνὸς ὄμματ' ἔχοντες, caninos quoque mores imitantur, dum lapidem, quo læſi vel petiti, mordent, eo, qui miſerit, neglecto. Artem enim Chymicam, tanquam lapidem, mordicus deteſtantur, ignorantiam verò ſuam, quâ ipſi ſeducti ſint, prætereunt, excuſant, & minimè agnoſcunt. Illi Lycurgum Spartanum legiſlatorem in eo imitantur, quod ut ipſe propter vini abuſum, omnes vites abſcidit & amputavit, ſic propter quorundam Chymiæ pſeudartificum dolos, errores & ſcelera, totam artem ejusque precioſiſſima munera, extirpare ſatagunt. Quin illi adeò docti viri à ruſticis & hortulanis diſcere deberent, quomodo hi non triticum cum lolio nec hor-

Ruſtici ſunt Doctores multorum Doctorum.

K deum

deum cum Chryſanthemo nec linum cum podagra lini ſeu cuſcuta, evellant, ſed generoſam plantam à ſylveſtri optimè diſtinguant, hanc eradicent, illam intactam relinqunt. Eant ad Chirurgos, quibus Poëtæ ſententia ipſo uſu exprimitur; *Quod immedicabile vulnus Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.* Nec enim ferro aut igne graſſandū eſt in partes ſanas, niſi ab inſanis: ſic ipſi inſanire mihi videntur, qui abſq; ullo diſcrimine debacchantur in Chymica, aut alia occulta Remedia, dummodo non ſint ab omni ratione & experientia aliena. Luxuries, ne dicam, petulantia ingeniorum noſtri ævi tanta eſt, ut ſatyram poſtulet, cenſorem admittat, dictatorem flagitet. At ne Sylla & Marius, uterque Rempublicam medicam opprimant, primus licentiâ, alter rigore, uterque tyrannide. Quis enim non Syllam imitatus, quodlibet ſibi ſumit in medicina, nunc Chymica non intellecta, nunc magica & caballiſtica, nunc dæmoniaca dictans, nunc alia ludicra & inania? Quàm multi libertatis medicæ quaſi vindices & patriæ patres, dum Syllanas & Siculas gerras exibilare & proſcribere geſtiunt, ipſi majores nugas protulerunt, dum bona cum malis, veros uſus cum abuſibus multarum rerum deteſtati ſunt; quibus omnibus hoc ultimum Capitulum, tanquam Cantilenam quandam Anacreonteam, Carmine dycolo, dicabimus, ut ſequitur.

CAP.

CAP. XII.

Cantilena Anacreontêa.

Quod illi Anticyram mittendi, adeóque eſſentiâ Ellebori extracta (ut ipſi perhibent) purgandi ſint, qui auro medicinales virtutes, propriâ animi ignorantiâ aut pecuniâ alterius non experti opinione ſeducti, detrahunt; Deo in his Magnalibus (quę in mundo ex ſingulari providentia ſua prævalere voluit) laudem & gratiam debitam non reddunt, aliiſque aliter edoctis & docentibus pro præmio invidiam, pro didactro mendacium reportant.

ANACREONTIS *auſus & fervidos ſonores*
Nunc claudicante dicam (ſic res petit) camena:
Apollo cum novenis ſororibus venito
Ut dictites acutos ſed abſque dente, verſus.
Quod magna vis in herbis, at major in metallis,
Sepulta ſit, rotundo brevis ſonabo metro.
Eſt in roſa venuſtas amabilis pudicâ,
Eſt gratioſa virtus in lilio caduco:
Hinc floſculos corollis hos applicant puellæ,
Quæ dum vacant labori, tantæq́ue functioni,
Fumos odere ſuaves pro præmio capeſſunt.
Eſt ſuccino, crocóque præſtans lepos, vigórque,
Quo ſenſibus recurrunt, cum trita confricantur.
Quod emicant ſereno ſtellæ polo, tot extant
Et vere plantularum formæ ſolo frequentes,
Quæ ſingula peramplis ſunt dotibus refertæ,

Digitized by Google

Mortalium decoris ut uſibus dicentur.
Natura non inanes produxit orbe fœtus,
Sed intimis medullis hic abdidit medelas
Exercitationis labore perfruendas.
Nec ceſſat illa gratas nobis locare vires
In fatidis oletis, membriſque beſtiarum;
Imò nec lapillis, rivis aqua petitis,
Nec erutis profundo terræ ſinu METALLIS.
Quod ſi furore mentis inſcitiáque ductus
Negabit hæc, & illa concedet, anne iniquus
Hic arbiter videtur, & virgula exuendus?
Quis Lemnio probabit non in luto latère
Nec Armeno, Strigenſivé, quod cluet ſigillo?
Si quis ferat, metallum non concoqui per alvum,
Nec digeri in cruorem, qui venulis amicus
Det corpori juvamen, cordíque robur addat;
Cum ſpiritus tenelli, qui corde fabricantur,
Ex ſanguinis recocti ſint puriore maſſa:
Huic ingero viciſſim, quod nulla cauſa poſcat
Tanta neceſſitatem rei, nec obſtet unquam,
Sit ſic, quod haud poteſſit noſtri calore ventris
Aurum teri, coquive, aut in ſanguinem redire,
Hinc Pharmacum probatur, nec pabulum cibúsve,
Quod corpori miniſtret vim ſanitatis amplam,
Et donet efficaces fumos, poténsque robur.
Nam ſi, velut ciborum chylus, periret alvo,
Omnésque qualitates amitteret moventes,
Medela nulla poſſet, ſed eſca ſola, dici.
Inſanus ergo jactet, ſe eſſentiam chymúmve
Traxiſſe de nigellis radiculis Meleagri,
Dum blaterat, quod auro nil virium ſuperſit,
Mortalium quod artus reſtauret & vigorem:

Mittamus

Digitized by Google

Mittamus at negantem, quæ ſunt in orbe nota,
At inſulam feracem tam muneris potentis,
Ut diſcat in liquores eſſentiámque puram
Uſu, manu, labore, quæ ſeparanda reſtent:
Mucum trahat cerebro, facémve bilis atra,
Ut intimè penetret res abditas & inſtar
Lyncei, quid adſit imis in montibus ſepultum
Perluſtet omne viſu mentis ſciénsque tractet.
Quod ſi nec inde quicquam latere ſub metallis
Vel optimam medelam languoribus dicatam,
Vel dona multa caris quæ gratiora gazis
Exploret, aſt inani ſe Syſiphi labore
Vel Tantali appetitu, dicat fuiſſe falſum,
Eſt rebus impolitus, vel certè ineruditus.
Nam ſunt metalla duris perfectiora teſtis
Incluſa, ne quis alto ſopore preſſus illa
Enucleet, tenella cui ſint manus labore:
Ne clauſtra tam arcta rumpat compagibus ſolutis
Ex plebe cerdo craſſus, cui nil adeſt ſalilli,
Vel ingenî, vel artis, vel eruditionis:
Prædator ullus aut fur ad tanta ſacra ne intret.
En ut vides ſacello Regum dicata gemmis,
Auróque dona clathris & ferreis cathenis
Hinc inde vincta noctu, diúque, ſic & auri
Myſterium lateſcit ſub arctiore muro,
Non ille diruendus eſt fraude, nec manus vi,
Sed clave perforandus ut oſtium pateſcat;
Si cardines aperti ſint ritè, ne timeſcas
Machâonis paratas opes, opémque ſanam
Quin ſcrinio ſtupeſcens ſcrutaberis ſub uno:
Hoc ſi negare perges, cum tale non recurrat.
Vulgo, nec innoteſcat, inertiam, laboris

Fugam, rudémque mentem veſtire tendis aſtu
Pulcherrimi coloris, poſtquam arbiter fidelis
Optes rei negatæ, ceu cognitæ, videri.
Hinc ſtultior Corœbo, Midæ ſodalis audis,
Nomen Petra molaris habens vel omen hinni.
Euphorbii calentis, vel ſcammoni triuncem
Huic oxymellis acris libram vel ELLEBO*rati*
Offerte, nec ſit ullus poſt exhibenda ſomnus:
Purgatius cerebrum quo fiat Elleborato
Subtiliórque ſenſus, ſagaciórque mentis
Diſcurſus à tenebris & nube liberatus.
Non ſufficit ſaburram tercenties per alvum
Jeciſſe, duplicatas ſed per vices juvabit,
Ut omne virus efflet per os calumnioſum
Emittat & receſſus per Corporis profundos:
Poſt non negabit auro quid virium latère,
Quo roberetur æſtu preſſum cor aut maligna
Ex tabe palpitando ſaltu, calore egenum:
An non ſcelus putandum ſeu crimen illud ingens,
Quod quis DEI *ſacratas opes & alta dona,*
Quæ ſunt recondita auri clauſtris, volens fateri,
Quod ipſe non notârit, ſed alteris probata
Plus millies, recuſet? An non negabit idem,
Si fas ſit, omne quod vel viderit, futurum
Factúmve, vel capeſſat: ô mens iniqua ſtulti.
Si quis minus potentem Regis manum æſtimabit
Mortalium, vel audax verbo reſiſtat illi,
Impurè vix abibit: quid ergo cenſeamus,
Hos poſſe non teneri labis reos ſceleſtæ,
Qui pernegent opimas opes DEI *Tonantis,*
Regúmque Regis, auro quas indidit micanti:
Hic ſcilicet ſupina jacent velut ſepulti

Inertia

Digitized by Google

Inertiæ ſuo antro, Cyclopibus civili;
Vix unde Solis ortum nec ſentiant diei
Lucem, ſopore glirem vincendo ſomnolentum:
Quin excitemus altâ mox voce dormientes,
Et increpemus acri ventres pigros ſuſurro:
Quid cæcutitis, heus vos, quid ſtertitis ſodales?
Non hæc dicata ſomnis eſt hora, nec quieti:
Adeſte, lux ocellos perſtringat impotentes,
Umbris tenebroſis & nubibus remotis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

adfinitates conſpirârunt, ut ex Romanis & Sabinis prius propter virginum raptus inimicis, non magis unita & confœderata civitas olim facta ſit, quàm ex igne & aqua, illo Perſico, hoc Ægyptio Numine, quorũ unum alterius pernicies, ex aëre & terra, unum compoſitum, individuum productum eſt, quod Aurum dicitur. Hoc eſt inexpugnabile, cum tamen omnia alia caſtra, quantumvis munita, Philippo Macedone teſte, expugnet. Ut enim criſtallinus oculi humor, ipſe expers eſt omnis coloris, quia omnes ſuſcipere debeat, ſic Aurum nulli ſuperabile eſt, quia omnia ſuperare queat tam virtute & precio, quàm vi & præmio. Quis adeo circumſpectus habet robora vel chalybem, ut multis in auro armatis reſiſtere valeat? Quem adeo virtus ſuſtulit, ut non ab auro dejectus ſit? Quem adeo vitium depreſſit, ut non ab auro evectus ſit? Nemo in lacte butyrum agnoviſſet, niſi uſus & ars detexiſſet: nullus linteamina, nec chartas nec in cauſtum oleoſum habuiſſet, niſi ex uno lini ſemine hæc omnia Palladia arte extudiſſet. Sic nec auri vires medicinales, quales prædicavimus, ullus in tam firmis & duris cõpagibus aut clauſtris latere ſciviſſet, niſi labore & ſumptu prævio indagâſſet. Hannibal ille Pœnorum Dux primus docuit emolliri cautes duriſſimas aceto fervido & frangi, ut viã præbeant exercitui. Xerxes Perſicus Rex montem Athum dejecit in mare & Oceano plagas, obedientiæ quaſi ferulas, intulit. Uterque, ut deſiderio ſuo appetituique ſatisfacerent, quo tamen fruſtrati. Ille enim Italiam, hic Græciam, ſubigere ut tentavit, ſic plurimi unum aurum inſidiis violentiaque aggreſſi, nil inde niſi damnum reportârunt. Nam quàm laborioſum illis fuit Regiones iſtas à natura munitas, populiſque fortiſſimis propugnatas ſupera-

Aurum inexpugnabile.

Aurum ſuperat omnia.

Digitized by Google

ſuperare,ita & quam plurimis, aliàs in literis verſatiſſimis circumſpectiſque viris negotium faceſſit Aurum vincere & medicinale totum reddere. Quod cum ex mentis inſcitia, aut laborum & ſumptuum declinatione præſtare non valuerint, mirum eſt, quantas nænias contexant,& quàm ſubtilia reticula circumducant,ut muſcas captent volantes. At totos ſe exenterarent prius,quàm hac via vel ullam veritatis umbram ſtringerent Andabatæ. De fatuo,quod roſas,ut ceraſa,apes, ut culices, captare voluerit, narrant, eum dolore ferè exanimatum à propoſito deſtitiſſe & abjeciſſe jam parta, hac addita voce. *Meretriculæ iſtæ quidem pulchræ, ſed acubus armatæ ſunt,quas in ſinu gerunt:* Sic fortè ab ejuſmodi ſtultis, qui aurum & metallica tractant, ut aquam roſarum aut ſalem abſyntii,ſuo cum damno,tot convitia in Chymicam artem,Aurum potabile,laudanum per ſe laudandum medicamentum (ſi abuſum,ut in omnibus diis, excipias) jactant,ea omnia vel uno flatu,ſi diis placet,cum Pyrgopolynice Plautino diſſipaturi. At meâ ſententiâ præter caninam loquentiam κυνὸς ὄμματ' ἔχοντες, caninos quoque mores imitantur, dum lapidem,quo læſi vel petiti,mordent,eo,qui miſerit,neglecto. Artem enim Chymicam,tanquam lapidem,mordicus deteſtantur, ignorantiam verò ſuam, quâ ipſi ſeducti ſint,prætereunt,excuſant,& minimè agnoſcunt. Illi Lycurgum Spartanum legiſlatorem in eo imitantur,quod ut ipſe propter vini abuſum,omnes vites abſcidit & amputavit,ſic propter quorundam Chymiæ pſeudartificum dolos,errores & ſcelera,totam artem ejusque precioſiſſima munera,extirpare ſatagunt. Quin illi adeo docti viri à ruſticis & hortulanis diſcere deberent,quomodo hi non triticum cum lolio nec hor- Ruſtici ſunt Doctores noſtrorum Doctorum.

K deum

Digitized by Google

deum cum Chryſanthemo nec linum cum podagra lini ſeu cuſcuta, evellant, ſed generoſam plantam à ſylveſtri optimè diſtinguant, hanc eradicent, illam intactam relinqunt. Eant ad Chirurgos, quibus Poëtæ ſententia ipſo uſu exprimitur; *Quod immedicabile vulnus Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.* Nec enim ferro aut igne graſſandū eſt in partes ſanas, niſi ab inſanis: ſi ipſi inſanire mihi videntur, qui abſq; ullo diſcrimine debacchantur in Chymica, aut alia occulta Remedia, dummodo non ſint ab omni ratione & experientia aliena. Luxuries, ne dicam, petulantia ingeniorum noſtri ævi tanta eſt, ut ſatyram poſtulet, cenſorem admittat, dictatorem flagitet. At ne Sylla & Marius, uterque Rempublicam medicam opprimant, primus licentiâ, alter rigore, uterque tyrannide. Quis enim non Syllam imitatus, quodlibet ſibi ſumit in medicina, nunc Chymica non intellecta, nunc magica & caballiſtica, nunc dæmoniaca dictans, nunc alia ludicra & inania? Quàm multi libertatis medicæ quaſi vindices & patriæ patres, dum Syllanas & Siculas gerras exibilare & proſcribere geſtiunt, ipſi majores nugas protulerunt, dum bona cum malis, veros uſus cum abuſibus multarum rerum deteſtati ſunt; quibus omnibus hoc ultimum Capitulum, tanquam Cantilenam quandam Anacreonteam, Carmine dycolo, dicabimus, ut ſequitur.

CAP. XII.
Cantilena Anacreontea.

Quod illi Anticyram mittendi, adeóque eſſentiâ Ellebori extracta (ut ipſi perhibent) purgandi ſint, qui auro medicinales virtutes, propriâ animi ignorantiâ aut pecuinâ alterius non experti opinione ſeducti, detrahunt; Deo in his Magnalibus (quę in mundo ex ſingulari providentia ſua prævalere voluit) laudem & gratiam debitam non reddunt, aliisque aliter edoctis & docentibus pro præmio invidiam, pro didactro mendacium reportant.

ANACREONTIS *auſus & fervidos ſonores*
Nunc claudicante dicam (ſic res petit) camena:
Apollo cum novenis ſororibus venito
Ut dictites acutos ſed abſque dente, verſus.
Quod magna vis in herbis, at major in metallis,
Sepulta ſit, rotundo brevis ſonabo metro.
Eſt in roſa venuſtas amabilis pudicâ,
Eſt gratioſa virtus in lilio caduco:
Hinc floſculos corollis hos applicant puellæ,
Quæ dum vacant labori, tantæq; functioni,
Fumos odere ſuaves pro præmio capeſſunt.
Eſt ſuccino, crocóque præſtans lepos, vigórque,
Quo ſenſibus recurrunt, cum trita confricantur.
Quod emicant ſereno ſtellæ polo, tot extant
Et vere plantularum formæ ſolo frequentes,
Quæ ſingulæ peramplis ſunt dotibus refertæ,

Digitized by Google

Mortalium decoris ut uſibus dicentur.
Natura non inanes produxit orbe fœtus,
Sed intimis medullis hic abdidit medelas
Exercitationis labore perfruendas.
Nec ceſſat illa gratas nobis locare vires
In fœtidis oletis, membriſque beſtiarum;
Imò nec lapillis, rivis aquæ petitis,
Nec erutis profundo terræ ſinu METALLIS.
Quod ſi furore mentis inſcitiáque ductus
Negabit hæc, & illa concedet, anne iniquus
Hic arbiter videtur, & virgula exuendus?
Quis Lemnio probabit non in luto latêre,
Nec Armeno, Strigenſivè, quod cluet ſigillo?
Si quis ferat, metallum non concoqui per alvum,
Nec digeri in cruorem, qui venulis amicus
Det corpori juvamen, cordíque robur addat;
Cum ſpiritus tenelli, qui corde fabricantur,
Ex ſanguinis recocti ſint puriore maſſa:
Huic ingero viciſſim, quod nulla cauſa poſcat
Tanta neceſſitatem rei, nec obſtet unquam,
Sit ſic, quod haud poteſſit noſtri calore ventris
Aurum teri, coquive, aut in ſanguinem redire,
Hinc Pharmacum probatur, nec pabulum cibúsve,
Quod corpori miniſtret vim ſanitatis amplam,
Et donet efficaces fumos, potênſque robur.
Nam ſi, velut ciborum chylus, periret alvo,
Omnéſque qualitates amitteret moventes,
Medela nulla poſſet, ſed eſca ſola, dici.
Inſanus ergo jactet, ſe eſſentiam chymúmve
Traxiſſe de nigellis radiculis Meleagri,
Dum blaterat, quod auro nil virium ſuperſit,
Mortalium quod artus reſtauret & vigorem:

Digitized by Google

Mittamus at negantem, quæ ſunt in orbe nota,
At inſulam feracem tam muneris potentis,
Ut diſcat in liquores eſſentiámque puram
Uſu, manu, labore, quæ ſeparanda reſtent:
Mucum trahat cerebro, facémve bilis atra,
Ut intimè penetret res abditas & inſtar
Lyncei, quid adſit imis in montibus ſepultum
Perluſtet omne viſu mentis ſciénſque tractet.
Quod ſi nec inde quicquam latere ſub metallis
Vel optimam medelam languoribus dicatam,
Vel dona multa caris quæ gratiora gazis
Exploret, aſt inani ſe Syſiphi labore
Vel Tantali appetitu, dicat fuiſſe falſum,
Eſt rebus impolitus, vel certè ineruditus.
Nam ſunt metalla duris perfectiora teſtis
Incluſa, ne quis alto ſopore preſſus illa
Enucleet, tenellæ cui ſint manus labore:
Ne clauſtra tam arcta rumpat compagibus ſolutis
Ex plebe cerdo craſſus, cui nil adeſt ſalilli,
Vel ingeni, vel artis, vel eruditionis:
Prædator ullus aut fur ad tanta ſacra ne intret.
En ut vides ſacello Regum dicata gemmis,
Auróque dona clathris & ferreis cathenis
Hinc inde vincta noctu, diúque, ſic & auri
Myſterium lateſcit ſub arctiore muro,
Non ille diruendus eſt fraude, nec manus vi,
Sed clave perforandus ut oſtium pateſcat;
Si cardines aperti ſint ritè, ne timeſcas
Machâonis paratas opes, opémque ſanam
Quin ſcrinio ſtupeſcens ſcrutaberis ſub uno:
Hoc ſi negare perges, cum tale non recurrat.
Vulgo, nec innoteſcat, inertiam, laboris

Digitized by Google

Fugam, rudémque mentem veſtire tendis aſtu
Pulcherrimi coloris, poſtquam arbiter fidelis
Optes rei negatæ, ceu cognitæ, videri.
Hinc ſtultior Corœbo, Midæ ſodalis audis,
Nomen Petræ molaris habens vel omen hinni.
Euphorbii calentis, vel ſcammoni triuncem
Huic oxymellis acris libram vel ELLEBORati
Offerte, nec ſit ullus poſt exhibenda ſomnus:
Purgatius cerebrum quo fiat Elleborato
Subtiliórque ſenſus, ſagaciórque mentis
Diſcurſus à tenebris & nube liberatus.
Non ſufficit ſaburram tercenties per alvum
Jeciſſe, duplicatas ſed per vices juvabit,
Ut omne virus efflet per os calumnioſum
Emittat & receſſus per Corporis profundos:
Poſt non negabit auro quid virium latêre,
Quo roberetur æſtu preſſum cor aut maligna
Ex tabe palpitando ſaltu, calore egenum:
An non ſcelus putandum ſeu crimen illud ingens,
Quod quis DEI *ſacratas opes & alta dona,*
Quæ ſunt recondita auri clauſtris, volens fateri,
Quod ipſe non notârit, ſed alteris probata
Plus millies, recuſet? An non negabit idem,
Si fas ſit, omne quod vel viderit futurum
Factúmve, vel capeſſat: ô mens iniqua ſtulti.
Si quis minus potentem Regis manum æſtimabit
Mortalium, vel audax verbo reſiſtat illi,
Impurè vix abibit: quid ergo cenſeamus,
Hos poſſe non teneri labis reos ſceleſtæ,
Qui pernegent opimas opes DEI *Tonantis,*
Regúmque Regis, auro quas indidit micanti:
Hic ſcilicet ſupina jacent velut ſepulti

Inertia

Digitized by Google